




21^o

DISSERT 79: A(12)

BVR 1292.89501.



21

Diss.

79


2
R.

DISSE
R
TAT
IO
BIBLICO - POLEMICA
DE
SACRO-SANCTO
MISSÆ SACRIFICIO

UNA CUM
SELECTIS & PENTATEUCHO POSITIONIBUS
PUBLICÆ DISQUISITIONI EXHIBITA

PRÆSIDÈ

P. LUDOVICO MÜLLER
Ord. F. F. Min. Recollectorum S. Scripturæ Lectore.



F. AURELIO DIEFFENHARD,
usdem Ordinis Presbitero; ac Studiis S. Scripturæ, Theologiae & Historie Ecclesiasticae Afficionatus;
Confluentiae in Ecclesia P. P. Franciscanorum
Anno MDCCCLXXXIV. Die XII Mensis Maji.

Mane ab Octava, post prandium à medio Secunda.

1784



MSS. SACRIFICIO

DISSERTATIO.

§. I.

Succincta SS. Missæ sacrificii Oppugnatorum Antiquiorum *
& Noviorum ** Synopsis.

I. *. Jam inde quidem ab Apostolorum ætate, & primis Ecclesiæ saeculis fuēre, qui Christum corporaliter in Eucharistia præsentem esse inficiabantur; verū hi non tam Sacramentum Eucharistiæ, quam Mysterium incarnationis oppugnabant; cum enim prætenderent, à Christo non verum, sed phantasticum duntaxat corpus assumptum, consequens erat, ut in Eucharistia nec verum ejus sanguinem, nec veram carnem admitterent. Cæterum eorum, qui Mysterium incarnationis, Christumque verum Deum simul, & verum Hominem profitebantur, ad saeculum usque IX. reperitur nemo, qui hoc SS. Sacramentum, sacrificiumve Missæ directè & palam in dubium trahere ausus fuerit; sed omnium orthodoxorum, æque ac heterodoxorum una semper extitit fides, consecratis per sacerdotum Ministerium Pane & Vino, eorum divina virtute verti substantias in verum corpus, verumque Christi sanguinem.

II. Saeculo igitur demum IX. ex iis, qui Incarnati Verbi Mysterium quidem credebant, fidem tamen præsentiae realis Christi Domini in Altaris Sacramento palam & directè diffitebantur, primus occurrit Joannes Scotus Herigena. Ediderat illius tempore circa annum 830. Paschasius Radbertus Abbas Corbejensis

— 16 —

jensis Tractatum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia. Huic oppōnit se hic Joannes Scotus in Libro, in quo perversè docuit, referente Hincmaro Rhemenſi L. de Prædest. Cap. 13. *Sacramentum Altaris non esse verum corpus & verum sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri corporis & sanguinis*, seu, ut Ascelinus Monachus in sua ad Berengarium Epist. ait: *ea, quæ in Altari fierent, specie tantum geri, non rei veritate.* Scotus, quoad vixit, nullum, quem opinionis suæ hæredem scriberet, discipulum nactus est; sed in tenebris opinio exotica jacuit, aut à paucis certe clanculum propugnata est.


III. Donec sæculo XI. haustum hoc ex Scotti Libro venenum apertius longiusque sparserit Berengarius Turonensis, Ecclesiæ Andegavensis Archi Diaco-nus. Dum Hic Turonis publicum Magistri officium impleret, Lanfrancus Mo-nachus Beccensis in Normannia docere coepit tanto auditorum applausu, ut fa-ma totam Galliam pervadente, undique confluenter Discipuli. Indoluit Beren-garius, se ab Auditoribus deserit, & invidia impellente dogmata studiose sparsit, quæ sua novitate omnibus admirationem crearent, majore inque Discipulorum numerum ad eum pertraherent. *Fleuri Lib. 59. §. LXV.* Inter alia cunctis con-tendebat viribus, post consecrationem Panis & Vini in Altari æquè ac priùs re-manere eorum substantias; propterea que Christi carnem & sanguinem vocari, eo quod in memoriā crucifixæ carnis ejus, & de latere effusi sanguinis cele-brentur. Interim nonnisi ignobiles sibi adhærere videns Berengarius Scholasti-cos, virum præstantissimum Lanfrancum, Beccensis Cœnobii Priorem, in suas trahere conatus est partes, scripta ad eundem familiari Epistola, ne præpro-peram de Joannis Scotti Doctrina sententiam ferrer. Epistola hæc à quopiam Ecclesiæ Rhemensis Clerico in via intercepta Romam ad Leonem IX. delata est. Leo post Pascha anni 1050. Romæ celebrat Concilium. Coram toto hoc Con-cilio hanc Berengarii ad Lanfrancum de Eucharistia Epistolam recitari jussit. Ex lectione omnibus patuit, quod Berengarius Joannem Scotum laudaret, Pâscha-rium damnaret, & opiniones de Eucharistia fidei contrarias teneret. Hinc lata in eum condemnationis sententia. Papa insuper Concilium Vercellis ima Sep-tembris celebrandum indicit. Interea Berengarius Ducem adiit Normanniæ Guilielmum Nothum, quem sua quoque irretire hæresi moliebatur; verum Dux, licet aetate adolescentiae annos nondum excederet, callide eum suspendit, detinuitque apud se, quoadusque Briornam, parvum ad Risélam amnum prope Beccense Cœnobium, oppidum, quo sapientissimos undique conscripserat vi-ros, attigisset. Sequenti post adventum Ducis die, quæstio cum Berengario, ejusque socio, in cuius eloquentia spem collocarar victoriæ, adducto secum Clerico ventilari coepit. Verum adeo manifeste confutati sunt ambo, ut primū silere, post hæc fidem Catholicam inviti fateri cogerentur.

IV. Interim Synodus Vercellensis, ut praefitatum fuerat, mense Septembris ejusdem anni 1050. Leone Pontifice Praefide, Episcopis ex diversis Provinciis confluentibus celebrata est. Berengarius vocatus ipse non comparuit, sed duos erroris sui autores misit Clericos. In Synodo igitur Liber Joannis Scotti de Eucharistia lectus, damnatus, proscriptus est: sententia quoque Berengarii exposita & damnata, duo illi Clerici, dum Berengarium defendere conabantur, in primo statim aditu defecerunt. Hujus tamen Concilii judicio minimè parebat contumax Berengarius: hinc Regi Christianissimo Henrico I. è re Ecclesiae esse visum est, Synodum convocare, qua ad ejurandam haeresin, jam à Romano Pontifice & duabus Synodis damnatam adigeretur. Dissuadere id quidem Regi conabatur Theoduinus Episcopus Leodiensis, eo quod Berengario haeresos jam convicto & damnato in questione jam plenè eliquata, nova concedenda non esset audientia; nihilominus Concilium Parisiis die 16. Octobris anni 1050. celebratum est. Berengario jussit Rex Christianissimus, ut coram Synodo se sisseret: adfuerunt Synodo Praefules magno numero, Clerici, Laici Nobiles, Rege ipso praesente; absfuit autem contumax Berengarius. Qua propter Isembertus Aurelianensis Episcopus Epistolam admodum prolixam publicè producens, inquit: *Jubete, obsecro, ut legatur hac Berengarii Epistola, non quidem mibi scripta, sed à me, cum eam per Nunzium cuidam amicorum suorum mitteret, interceptra.* Epistola lecta est, & quoniam nequissima sordebat haeresi, vehementer displicuit; communī proīn sententia, unanimi voce ejus damnatus est Author Berengarius, damnati sunt complices eum codice Joannis Scotti.

V. Verūm enim vero nec hujus Concilii fulmine pervicax conquassatum est Berengarii caput. Hinc Victor II. missi Legato in Gallias, venerabili Hildebrando, tunc Archi-Diacono, generalem Synodum Turonis congregavit 1055. In hac synodo præsenserat Berengarius, & accepta suam defendendi opinionem potestate, cum eam defendere penitus non valeret, sub jurejurando propriam haeresin anathematizavit, & communem S. Ecclesiae fidem de Veritate Corporis & sanguinis Domini, se deinceps ab illa hora servaturum sub Juramento promisit. Ast oblitus paulo post juramenti sui Berengarius ad suam reversus est haeresin. Hinc Nicolaus II. Consilium centum & tredecim Episcoporum convocavit Romani, celebravitque anno 1059. Berengarius in eo quoque præsens, auditus, confutatus, iterumque convictus, denuo ejuravit errorem, Nicolaum Papam, toramque synodum rogans, ut sibi formula fidei, quæ tenenda esset, traderetur. Negotium hoc commissum est Cardinali Humberto, qui formulam in hæc scripsit verba: *Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiae S. Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem anathematizo omnem haeresin, præcipue illam, cuius suspicio bucusque in me cecidit, & quæ adstruere co[n] Naturam, Panem & Vinum, quæ in Altari popuntur, post consecrationem solummodo*

modo Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem S. Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor de Sacramento Dominicæ Mensæ eam fidem me tenere, quam Nicolaus Papa & hæc S. Synodus, Authoritate Evangelica & Apostolica teneram mihi tradidit: scilicet Panem & Vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus teri (Hæc non accipienda sunt, ac si Corpus Christi una cum speciebus frangeretur, vel dentibus Communicantium læderetur, sed, quod sub speciebus etiam divisis, vel admorsis totus Christus, non solum in Sacramento, seu in signo visibili invisibilis gratiae, sicut in aliis Sacramentis, sed in veritate existat) ita iuro per S. Trinitatem, & per hæc Sacrosancta Christi Evangelia. Hæc Formula à Cardinali Humberto concinnata toti probabatur Concilio; eam igitur Humbertus Berengario obtulit, qui postquam totam legisset, hanc suam esse fidem professus est, Juramento confirmavit, & propria subscripta manu; quin & foculo in medio Concilio excitato libros memoratum errorem continentes concremavit. Nicolaus Papa hac conversione lætissimus formulam illam in omnes Italæ, Galliæ, Germaniæ Urbes, & quoctunque noxiæ haeresis pestis penetrare potuerat, ut scandalum tor Ecclesiis datum tolleretur, transmisit. At enim Berengarius vixdam Concilio exceperat, calumna contra fidei sue Professionem strinxit, Cardinalem Humbertum ejusdem Authorem convitiis infectari, & more H. H. consueto Romanum Pontificem & S. Romanam Ecclesiam verbis & scriptis blasphemare præsumpsit: Leonem Papam, non Pontificem, sed Pompificem & Putpificem, Romanam Ecclesiam vanitatis Concilium & Ecclesiam Malignantium, Romanam sedem non Apostolicam, sed sedem Satanae dictis & scriptis appellare non erubuit.

VI. Tantis furoribus nonnisi patientiam, & suas opposuit Ecclesia Syndicos. Præhabitis anno 1063. Rothomagensi, & anno 1075. Pictaviensi Conciliis, in quibus fides Catholica de veritate Corporis & Sanguinis veri in Eucharistia confirmata, & Berengarius novo anathemate confixus est, Gregorius VII. in festo omnium Sanctorum anno 1078. congregavit, ut Berengarii causam omnino finiret, Concilium Romæ: aderat quoque Berengarius, cumque ad abjiciendum errorem ab amicis urgeretur, brevem hanc tradidit fidei formulam subdolis verbis conceptam: Profiteor Panem Altaris post consecrationem esse verum Corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in Cruce, quod sedet ad dexteram Patris, & Vinum Altaris, postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui de latere manavit. Hac Fidei Formula



cum non satisfecisset Patribus, inducias ad proximam anno sequente futuram Synodus obtinuit.

VII. Anno igitur 1079. Mense Februario Gregorius VII. præsedidit Concilio Romæ in Ecclesia S. Salvatoris, cui Episcopi centum quinquaginta interfuerent. Omnibus in Ecclesia S. Salvatoris congregatis habitus est sermo de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, & acriter in Berengarium disputatum. Plerique affirmabant, per verba consecrationis & virtutem Spiritus S. Panis & Vini substantiam, in verum mutari Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, qui natus est de Virgine, qui cruci affixus fuit, idque Patrum tam Græcorum, quam Latinorum Authoritate probabant. Aliqui tamen dicebant, esse solummodo figuram, Corporis vero substantiam sedere ad dexteram Patris; sed priusquam effluxisset triduum, clarissime coniecti veritati repugnare cessarunt. Imo ipse Berengarius hujus erroris Magister post hanc longo tempore dogmatizatam impietatem, se errasse, deceptumve fuisse, coram toto Concilio confessus est, veniam petiit, obtinuitque, fidem de Eucharistia sub hac verborum formula profitens: *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, quod Panis & Vinum, quæ super Altare ponuntur, substantialiter per mysterium sacræ Orationis, & verba redemptoris nostri mutentur in veram carnem propriam & vivificantem, & in Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ita, ut post consecrationem ejus Corpus verum de Virgine natum, in cruce pro salute mundi oblatum, & ad dexteram Patris sedens, & verus Jesu Christi sanguis, qui de ejus latere fluxit, non solum in signo & per virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ adsint: sicut hoc scripto, quod legi, & quod audivisti, continetur. Hoc credo, & huic fidei quidquam adversum non amplius docebo. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.*

VIII. An hūic tandem aliquando stererit Berengarius, inter eruditos non convenit. Mabillonius apud Fleuri scribit: *Insana vertigine ætus Confessioni fidei in Concilio Romano anno 1079. editæ non constanter inhaest, quippe in Franciam reversus eam vulgato scripto refutavit.* Saltem anno sequente 1080. Mense Octobri Concilium legitur Burdigalæ celebratum, cui duo sedis Romanæ Legati, tres Archi-Episcopi & Episcopi complures interfuerunt. In eo Berengarius fidei suæ rationem exposuit, sive quod Confessionem Romæ editam confirmaverit, sive ultimum scriptum refutaverit. Post Concilium hoc nulla amplius Berengarii in scriptoribus ævi illius occurrit mentio usque ad ejus mortem anno 1088.

IX. Sæculo XII. eandem recoixerunt Hæresin Petrus de Bruis, à quo Petro

Petrobrusiani, Henricus ejus discipulus, à quo Henriciani, & in Occidente per Germaniam Tanchlinus, sive Tanchelmus. Saeculo XIII. Albigenses, Waldensium progenies, & saeculo XIV. Wicleffus, natione Anglus. Hi omnes *Missam* ritum inanem ab Apostolis minimè traditum esse mentiebantur. Profugati autem & damnati sunt à pluribus Conciliis Oecumenicis æquè ac particularibus, compluribusque Patribus. Imo & ipsi Reges Angliae Richardus II. anno 1388. & Henricus IV. grassantem Wicleffianam hæresin Edictis suis infectari sunt, omnemque adhibuerunt operam, ut hæc foeditissima Pestis toto exterminaretur Regno, *ut refert Henricus de Knyghton de eventibus Angliae.*

X. **. Quoad noviores sacrificii Missæ Oppugnatores. Eo usque quidem cunctis contradicendi Martinum Lutherum agebat libido, ut in quadam ad Argentinenses Epistola scribere non erubuerit: *Gratissimum prorsus mibi accidisset, si opportuna mibi obvenisset occasio Sacramentalem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam inficiandi; nihil enim aptius meum Papatui nocendi propositum juvisset.* Attamen verbis Christi: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus* evidenter convictus, nunquam sibi persuasum reddere poterat, quod Christus hujus Sacramenti institutionem studiosè obscurare, ac verba tam plana ad figuræ adeo contortas, atque alium ad sensum, quam quem omnes Christiani tam orientalis, quam occidentalis Ecclesiæ populi suæ natura inditum receperunt, contorquere voluerit. Hocque ex capite nunquam quidem negare auctus est Lutherus, in Eucharistia verum Christi Corpus, verumque ejus Sanguinem esse, Berengarium tamen securus, Panis & Vini substantias in Eucharistia remanere addidit, adeo, ut Corpus & sanguis Jesu Christi sub & in Pane & Vino sicut ignis in ferro candente esse docuerit; & tandem Bucero consentiens voluit, Christi Corpus & Sanguinem extra usum in Eucharistia non esse. Inflichto hoc sanctissimo Eucharistiae Sacramento vulnere, sibi quoque ab Eucharistico sacrificio labefactando temperare non potuit: in formula enim Missæ, quam pro Wittenbergensi Ecclesia descripsit anno 1523, de ea parte Liturgiæ, quam majores nostri Missam fidelium appellaverunt, sic loquitur: *sequitur (post Evangelii & Apostolici symboli recitationem), tota illa abominatio, cui servire coactum est, quidquid in Missa præcessit, unde & Offertorium vocatur, & ab hinc omnia ferè sonant & olenent oblationes... proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationes sonant cum universo Canone, retineamus, quæ pura & sancta sunt.*

XI. Formula Missæ à Lutherò præscripta, hæc est: Introitus ex quodam Psalmo aut aliis Scripturis desumptos non improbat: *Kyrie eleison, Hymnum: Gloria in Excelsis, Orationem, seu Collectam unicam, Lectionem Epistolæ amplectitur: Graduale duorum Versuum cum Alleluja admittit; alios Ritus in Quara-*

Quadragesima, in hebdomada Sancta non vult usurpari. Sequentiam rejicit præter illam de Natali Domini, & de Spiritu S. Sequitur Lectio Evangelii, ad quam nec cereos, nec thurificationem prohibet, sed nec exigit. Symboli Nicæni eantum non improbat. Tum parari jubet panem & vinum ad benedictionem ritu solito, omnibus illis repudiatis, quæ oblationem & sacrificium sonant. Hæret circa mixtionem aquæ, & eo potius propenderet, ut merum vinum paretur; tum Præfationem subjungit ritu nostro. Deinde: *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem, gratias agens fregit, deditque Discipulis dicens: accipite, comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic Calix est novi Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hæc quotiescumque feceritis, in meam memoriam facietis, vult modica post præfationem interposita pauca, in eo tono vocis recitari, quo canitur Oratio Dominica, ut à circumstantibus possint audiri. Finita panis & vini benedictione, canitur *Sanctus*, & dum canitur: *Benedictus*, elevatur panis & *Calix* ritu hactenus consueto, vel propter infirmos, qui hac resentina hujus insignioris in Missa ritus mutatione forte offendentur. Post hæc legitur Oratio Dominica: *Oremus, præceptis salutaribus moniti.* Omissa oratione sequenti, statim post Orationem Dominicam dicitur: *Pax Domini &c.* Quam Lutherus publicam absolutionem Communicantium à peccatis esse ait; ideoque vellet eam nuntiari verso ad populum vultu. Sequitur Communio celebrantis & populi; interim canitur *Agnus Dei*. Orationes illas: *Domine Jesu Christe &c, & Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam*, Lutherus probat. Communionem cani permittit; sed loco ultimæ Collectæ, in qua fermè semper mentio fit de sacrificio, legi præcipit in eodem tono Orationem illam: *Quod ore sumpsimus &c. Loco: Ite Missa est*, substituit: *Benedicamus Domino*. Benedictionem solitam, vel alias ex scripturis desumptas dari jubet. Videatur Natalis Alexander Sæculo XV & XVI. Hæc igitur Missa est illa, de qua in Confessione Augustana anno 1530 edita D. D. Protestantes scripserunt: *Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur.* Subdola & captiosa est protestatio isthæc: celebrant utique aliqui eorum Missam, sed non aliam, quam illam à Luthero fabricatam & corruptam, in qua nulla fit oblatio, nullum peragitur Sacrificium.

XII. Carlstadius hoc nomine à nativitatis loco Carolstadium, alias Andreas Bodenstein nuncupatus, canonicus & Archi-Diaconus Ecclesiæ Wittenbergensis qua ætualis Professor Theologiae & Universitatis Wittenbergensis Decanus, Lutherum ad Doctoratus promovit honorem, eidemque singulari amicitia junctus, erroribusque à Luthero ex post sparsis adhæsit. Absente demum Wittenberga Luthero, hujus auctoritate neglecta, sibique nomen Doctoris novi affectans,

tans, inconsulto Lutheru Missam prorsus abrogavit, Christique corpus & sanguinem reipsa & secundum substantiam in Eucharistia adesse, quod propugnabat Lutherus, negabat, affirmans, Christum, cum dixit: *Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum*, pronomen: *Hoc*, non in panem, sed in seipsum direxisse, ut sensus sit: *Accipite & manducate; nam ego hoc Corpus meum pro vobis traditurus sum.*

XIII. Eodem tempore in Helvetia Lutheri errores praedicare coepit Ulrichus Zwinglius Urbis Tigurinæ Parochus, qui tamen postmodum se Lutheri Discipulum appellari indignatus, ipsus novæ sectæ auctor esse constituit, & cum ante orthodoxæ fidei Dogma de Transubstantiatione cum Lutheru sollempmodo impugnasset, nunc quoque realem præsentiam, quam Lutherus cum remanente tamen substantia Panis & vini admittebat, aggredi molitur, ediditque Librum de vera & falsa Religione, in quo Christum in Eucharistiæ Sacramento corporaliter non esse præsentem ostendere conatur; nec alium ei effectum tribuit, quam quem aliis Sacramentis adscribit, signi videlicet vel Cæremoniæ, quibus homo aut Ecclesiæ se probat candidatum, aut militem Christi. Unde Eucharistiam merum esse concludit signum cuiuslibet, effectu vacuum, Christique verbum nullum omnino de gratia Dei continere promissionem, ac demum Missam non sacrificium, sed simplicem esse sacrificii semel in Cruce oblati commemorationem. Zwinglio Basileæ accessit Oecolampadius Monachus Birgittanus. Zwinglius & Oecolampadius rem diverso paululum modo explicabant; de cœtero inter se conspirabant, hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, esse figurata; Zwinglius enim assertebat, quod hæc particula: *est*, accipiatur pro significat. Oecolampadius autem tenebat in verbo *Corpus figuram*, huncque esse sensum: *Hoc est figura Corporis mei*. Huic sententiæ accesserunt Argentinenses cum Bucero, & Capitone eorum Ducibus, qui pro aris & focus figurati sensus errorem tuebantur.

XVI. Calvinus Novioduni anno 1509 natus, adolescentior factus Lutetiae existens, cum Lutheranis & Zwinglianis familiaritatem iniit, novæ Doctrinæ principia didicit: imo novam ipse adoritur excitare sectam, cuius principale caput Sacramentum Eucharistiæ concernens, posuit hoc: verba Christi: *Hoc est Corpus meum* in sensu figurato & significative accipienda esse. De sacrificio autem Missæ L. 4. inst. Cap. 18. Ita scribit: *Horrendæ abominationis fuit, cum signum extulit Satan, quo non modo obscuraretur & perverteretur, sed penitus abolita, & obliterata evanesceret, & ex hominum memoria excideret sacra Christi cæna, nempe cum pestilentissimo errore, totum penè orbem excæcavit, ut crederet Missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum.*

—

§. II.


*Sacrificii Notio * & Varietas ***

XV.* Nomen *Sacrificium* spectata sua origine, quamvis actionem sacram respicere potest; *Sacrificium* enim à *Sacrum facere* oritur; unde & in duplice reperitur significacione, scilicet primo impropria, quatenus ad omnne opus bonum, quod propter Dei gloriam suscipi & fieri potest, sive internum sit & spirituale, sive externum & corporale, significandum extenditur. Hoc sensu omnia opera bona sacrificia quidem dici possunt vera; sed non propria, sicut Christus semetipsum vitam vocat veram, quin sit vitis propria. De sacrificio hoc vero quidem, sed improprio loquitur diversis in locis S. Scriptura. Inter alia Ps. 4. *Sacrificate sacrificium Justitiae.* & S. Augustinus L. 10. de civit. Dei Cap. 6. dicens: *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut Deo inhæreamus.* Unde, si Calvinus lib. 4. instit. afferens: *Sacrificium est, quidquid omnino Deo offertur:* & Philippus Melanchton in *Apolog. Conf. August.* art. de Missa *Sacrificium definiens: Cærenonia vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum bonore afficiamus,* id ipsum de sacrificio in hac impropria duntaxat intellexerint significacione, Catholicorum contrarium habebunt neminem. Translatum est autem metaphorice *Sacrificii* Nomen in scriptura & patribus ad quævis opera bona, virtutumque officia, non quasi *Sacrificii* Nomen in id genus propriè conveniret; sed quia opera ejusmodi imprimis Deo grata sunt & accepta, atque adeo verè in ipsis reperitur aliquid, quod ad sacrificia propriè dicta, si modò ritè atque ex Divina voluntate fiant, spectat: nimurum, quod sint Deo placita & placabilia, eique, sicut scriptura loquitur, jucundissimum spirent odorem suavitatis, sive sacrificiorum similitudinem participant. Quam rationem Metaphoræ Apostolus in eo loco expressisse videtur, ubi Eleemosynæ fidelium, cur essent hostiæ & sacrificium, illis verbis subindicavit: *Habeo autem omnia & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphroditto, quem misisti in Odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*

XVI. Verum & aliud extare sacrificii genus, idque proprium stricte que sumptum, tum Divinæ literæ, tum ratio & natura sacrificii demonstrant. Divinæ literæ id passim quam maxime perspicuum faciunt iis in locis, ubi disserit illa prioris generis sacrificia posterioribus his opponunt: *Si voluisses, inquit David Ps. 50. Sacrificium dedisse utique, holocaustis non delectaberis.* *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicias.* Oseas Cap. 6. inquit: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* 1. Reg. Cap. 6. habetur: *Melior est obedientia, quam victima. Intueamur,* inquit in it. Davidis

Davidis locum S. Augustinus C. 10. de civit. Dei: quemadmodum, ubi Deum dixit David nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Sacrificium. Quomodo autem Deus dici posset non velle sacrificium & holocaustum, sed cor contritum & humiliatum, si cor contritum & humiliatum, ipsummet sit verum propriumque sacrificium? Quomodo Deus non vellet Sacrificium sed Misericordiam, si ipsamet misericordia verum propriumque sacrificium foret? Quomodo obedientia melior foret victimam, si obedientia æquè proprium sacrificium sit, ac victimam? Quomodo isthæc staret oppositio? sacrificium enim proprium sacrificio nequit opponi proprio.

XVII. Ulterius hoc demonstrat Ratio sacrificiique natura. Etenim immo in omni sacrificio proprio requiritur res aliqua, quæ offertur, sensibilis, nec in actione nuda sacrificium consistet unquam, ut indigitat S. Paulus Hebr. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munus & hostias instituitur, unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat.* Ubi Apostolus ex communi sacrificii proprii ratione colligit, non potuisse Christum verè Pontificem dici, nisi habuisset, quam offerret, victimam. Si vero sacrificium quelibet foret Cæremonia vel opus ad honorem Dei factum, obstatet nihil, quominus in nuda actione sacrificium consisteret, quique voce psalleret, genua flechteret, aut ejusmodi quidquam faceret, is quoque sacrificare diœretur, quod omnium nationum contradicit voci. Apud omnes nationes Sacrificium sine addito prolatum, significat specialem Dei cultum: quilibet enim legens apud quemcunque scriptorem, quod aliquis sacrificaverit, non apprehendit, eum jejunasse, aut dedisse eleemosyam, sed specialem aliquem cultum Deo exhibuisse. Præterea perpetua Ecclesiæ traditio solum unum novit sacrificium proprium Christianorum teste Augustino, qui Lib. 8. de civit. Dei, cap. ult. volens probare, non esse sacrificium Epulas illas, quæ ponebantur à quibusdam supra sepulchra Martyrum, sic ait: *Ea non esse sacrificia novit, qui novit unum, quod Deo offertur, sacrificium Christianorum.* S. Chrysostomus in Ps. 95. *Magnus, inquit, erat, & sine modo sacrificiorum numerus in lege, quæ omnia nova superveniens gratia uno sacrificio complebitur, unam & veram statuens Hostiam.* Non igitur quelibet cæremonia aut opus ad honorem Dei factum vera sunt sacrificia, alias sacrificium Christianorum proprium non unum, sed, cum Deus innumeris possit coli modis, innumera forent. 2do. Sacrificium & sacerdotium, item: Sacrificium & Altare relativa sunt, ita, ut sacrificio propriè dicto, sacerdotium & Altare propriè dictum, & sacrificio impropriè dicto, sacerdotium & Altare impropriè dicta respondeant; Scriptura enim & Patres Sacerdotium & sacrificium velut inseparabilia semper conjungunt. Scriptura quidem Hebr. 5. ubi omnis Pontifex constitutus dicitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; Patres vero, ut Justinus in Dialogo cum Tryphonie, ubi Deum nonnisi à Sacerdotibus sacrificium accipere dicit.



Quinimo juxta vim græci sermonis idem est *Sacerdos ac Sacrificus*. Certo aliam ob causam ab Ecclesia non excludunt D. D. Adversarii sacerdotium, quam quia verum eidem abnegant sacrificium. Jam autem non omnes, qui bona ad honorem Dei præstant opera, veri sunt proprieque dicti sacerdotes. Licet enim in Testamento veteri multi in singulis tribubus fuerint bonorum operum cultores, nulli tamen fuerunt sacerdotes propriè dicti, nisi filii & posteri Aaron: in novo autem testamento nunquam dicti, vel habiti sunt sacerdotes proprii, nisi Episcopi & Presbyteri. Accedit, quod ad sacrificium verum, prout semper in usu fuit, verum requiratur Altare; unde sacrificium & Altare, hebraicè & græcè ab eadem deducuntur radice, licet Latini à forma & ritu nomen deducere maluerint; dicunt enim Altare quasi *Altum & Aram*, nec ullum seu in populo Dei, seu uspiam erectum legitur Altare, nisi in ordine ad sacrificia: Luce autem meridiana clarius est, non ad omnia, quæ Deo offeruntur, verum requiri Altare: verè enim & propriè obtulit Deo Vidua illa Evangelica duo æra minuta, cum nec sacerdos ipsa esset, nec ullum haberet Altare. Consequens ergo est, non omne id, quod in honorem Dei præstatur, verum propriumque sacrificium esse.

XVIII. Verum proinde, propriumque sacrificium est *oblatio externa*, legitime instituta, qua res aliqua sensibilis per legitimum Ministrum immutatur in protestationem supremi Dei Dominii. Debet igitur id, quod sacrificium proprium sit, esse *Oblatio*, per quod cum oblationibus aliis decimarum, primitiarum, bonorumque operum, quæ sacrificium proprium non sunt, convenit: differt vero à Sacramentis, quod ea à nobis non offerantur Deo, sed ad homines primariò dirigantur sanctificandos. Sic Eucharistia, ut *Sacramentum* est, dirigitur *primario*: ut Christus, gratiæque sanctificantes nobis ad nostram dentur sanctificationem; ut verò sacrificium est ipsum, *primario* respicit Deum: quia nos exhibemus in eo aliquid Deo ad summum ipsius honorem; quamvis & hinc velut consequenter gratiam consequamur. Sacrificium igitur pro ipsa actione acceptum species est oblationis, pertinens propriè & per se ad Sacerdotis munus, utpote cuius officium proprium est offerre, juxta Apostolum ad Hebr. *omnis Pontifex constituitur...*, ut offerat dona & sacrificia. Similiter apud sacros & Ecclesiasticos scriptores offerre & sacrificare accipiuntur pro eodem: *Gen. 4*: ubi primum fit sacrificii mentio, dicitur: Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & *Gen. 8*: Noë obtulit holocausta. Tertullianus *Lib. de exhortat. Cast.* Tria esse, ait, sacerdotum novæ legis munera, nempe: *Baptizare, sacrificare & concionari*. Additur: *externa*: est enim sacrificium opus Religionis externum, quo reverentia & cultus exhibetur Deo debitus ab hominibus in una societate conjunctis. Oblationem itaque externam esse oportet, sine qua non possunt vincula Religionis connecti, estque igitur fuitque semper omnium sensu sacrificium.

sacrificium unum ex signis illis, sine quibus in nullum Religionis Nomen, ut S. August. Lib. 10. contra Faustum loquitur, coagulari possunt homines: Materiam quoque sensibilem in sacrificio requiri seu corpoream, denotant verba: *quae res aliqua sensibilis*, sive animata ea sit, sive inanimata. Excluduntur itaque à ratione sacrificii veri soli actus & oblationes internæ; cum enim sacrificium signum sit & ritus, quo in unius ejusdem Religionis cultum coadunantur homines, & hi inter se in signis nonnisi communicent sensibilibus, recte sacrificii materia in oblatione ponitur rei sensibilis. *Per legitimum Ministrum.* Nec enim sumit sibi quisquam offerendi honorem, ait Apost. Hebr. 5. nisi qui vocatur à Deo ut Aaron. Unde Vindicem expertus est Ozias, qui, cum Rex esset, sed non Sacerdos, sacrificium offerre voluit 2. paralip. 26.

Et verò sacrificium utpote actio publica in Religione præstantissima Ministros specialiter deputatos exigit, atque id hominibus ab ipsa inditum est natura: Ethnici enim semper elegerunt sacerdotes, qui sacra sua facerent. Sub lege Naturæ concessum est jus illud ex receptione Sententia Patribus-familias eorumque Primogenitis. In Mosaica lege assertum est Aaronis stirpi. In lege Evangelica iis, quos Deus per primarios Pastores sibi in Ministros elegerit. Dicitur: *immutatur.* Certè actio, quæ in sacrificio exercetur de se, ut sacra sit, vel non sacra, indifferens est: necessarium ergo est aliquid, quo ut sacra determinetur. Id efficit intentio illa, quæ ad protestandum absolutum & independens supremi Numinis Dominium destruitur, ut præclare monet S. Thomas: *In eo posita est ratio sacrificii, ut circa rem Deo oblatam aliquid fiat: quo in novum statum relieta priore conditione mutetur;* hocque modo Deo sacra dici possit, alioquin, si illæsa maneret & integra; sicut offeruntur Denarii, Primitiae &c. circa quæ nihil fit, Donum quidem; minimè verò sacrificium dici posset. Debet igitur res, ut sacrificium sit, ritu quodam vel physico vel mystico destrui, quo Deum supremum vitae arbitrum profitemur. Hoc enim oblationem inter & sacrificium discriminis intercedit, quod oblatio sine rei oblatæ mutatione fieri possit, sacrificium mutationem importet vel effusione sanguinis, vel partium divisione factam. Hinc quando animalis vivi ex legis antiquæ prescripto nuda siebat oblatio, nusquam legitur vel hostia vel sacrificium appellata, tuncque tantum hoc digna nomine putabatur, quando circa rem oblatam Sacerdos sacri aliquid faciebat, ut si animal mactaret, ejusque sanguinem funderet, aut mysticè saltem destrueret, si Thus igne admoto adoleret, si contereret frumentum, si conspersam oleo farinam concoqueret. Additur: *in protestationem supremi Dei Dominii.* Is enim primarius est sacrificii finis, ut & insimam suam subjectionem protestetur homo & Deum recognoscat, ut omnipotentem creaturæ suæ arbitrum, cuius in honorem & nostra & nos ipsos destruere parati sumus, si ipse exigeret; quia verò id non exigit, sed è contra prohibet, pro esse nostro, quod destruere nobis non

non licet, esse alterius rei offerimus & destruimus, ut, ne nos vitæ quidem nostræ, si liceret, parcituros fore significemus.

XIX. ** Sacrificium ratione formæ, seu finis in L. V. potissimum triplex erat. *Primum*, idque perfectissimum erat Holocaustum, in quo tota res oblata destruebatur, seu comburebatur, ut nihil inde cederet in usus humanos. *Secundum*, sacrificium pro peccato, quod partim cremabatur, partim cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur. *Tertium*, hostia pacifica, scilicet ad impetranda nova beneficia, vel ad agendum gratias pro acceptis: & hujus una pars comburebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum sacerdotum, tertia in usum ipsorum offerentium. Huic divisioni affinis est illa, qua sacrificium dividitur in Latreuticum, quod fit, aut offertur totum ad Deum colendum, nostramque servitutem testandam; in Eucharisticum, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; in Impetratorium, quod fit pro beneficiis accipiendis; & Propitiatorium, quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis ac flagellis avertendis.

§. III.

*Ly Missæ, quo sacrosanctum Altaris Sacrificium exprimitur Notio **
*variaque acceptio. ***

XX. *Missa* idioma, an hebraicum, græcum vel latinum sit, concors non est authorum sententia. Reuchlinus lib. 2. *hebraicarum editionum nomen putar esse hebraicum*, cum enim, dicit, Petrus Princeps Apostolorum, post institutam à Domino Eucharistiam, primam missam celebraverit in Die pentecostes, quo tempore Hebræi juxta præscriptum legis per singulas familias offerebant Hierosolymis duos panes triticeos fermentatos, & septem agnos annicullos immaculatos, haecque eorum oblatio Deuteronom. 16. *Missah* vocabatur; ideo mutuato ab hebræis hoc nomine sic dicta fuit *Missa*, in qua pro panibus fert mentatis, pro tot N. L. Sacrificiis, longè sanctius in N. L., non in figura, sed in veritate sub specie panis offertur agnus ille immaculatus, qui tollit peccata mundi. Ast, ut optimè observat Bellarminus Lib. 1. de *Missa*, si vox illa hebraica in usu Apostolis fuisset, eam certo retinuissent etiam Græci, Syri aliaeque nationes, uti retinuere voces similes: *Alleluja, Sabbath, Pascha*: vocabula enim hebraica ad nos per Græcos devenerunt, cum Apostoli & Primi Ecclesiæ Doctores scripserint græcè. Porro apud græcos nulla est mentio hujus vocis: *Missa*, nec apud Patres hebraicæ linguae peritos, Origenem, Epiphanium, Justinum, quod certe admirandum videri posset, si ab hebræis ad Christianos vox illa emanasset. Sanè S: Hieronymus, qui hebraica vocabula ab Ecclesia

fia

fia retenta plerisque in locis recenset, inter quae *Racha*, *Epheta*, *Rabbi*, *Ephod* de *Missa* hebraico nomine nihil penitus habet; si vero *Missa* nomen hebraicum esse agnovisset, cur illud cæteris non apposuisset. Quod verò *Missa* in Deuteronomio ad designandam oblationem dictam occurrat, nihil prorsus evincit; quæstio enim non est, an vox *Missa* aliquam cum dictione hebraica convenientiam habeat, sed utrum ideo à Latinis fuerit usurpata, quia ab Hebræis accepta.

XXI. Alii, in quibus est Genebrardus Lib. de Liturg. cap. 3. vocis, *Missa* originem deducunt à voce græca *Myesis* à verbo *Myeo*, quod est *doceo*, & spiritualiter *initio*. Cum itaque doctrinam omnium sanctissimam, & Mysteriorum maxima Sacrificium Missæ contineat, fieri potuit, ut græca voce paucis immutatis Literis in formam latini sermonis transferreretur; nam græci, inquit Genebrardus, hanc vocem pronuntiant *Myisis*, unde mutata terminatione *Missa* à Latinis deduci potuit, eoque libentius hi opinionem hanc amplectuntur, quod apud græcos quosdam scriptores nomen *Missa* ad Sacrificium significandum legatur, ut apud Constantimum in *Tacticis*, quem Joannes *Meursius* citat in Glossario græco-barbaro. Verùm conjectura haec levis est. Græci illi, quibus vox *Missa* non incognita fuisse appetat, non prioris, sed recentioris sunt ætatis; undecimo scilicet saeculo & etiam recentius nati, hancque acceperunt vocem, sicut & alias à Latinis, usurpantque eam in alio à Latinis sensu, præsertim scriptores *Tacticorum*, qui ea pro precibus, quas milites christiani in exercitu mane & vespere recitabant, passim utuntur.

XXII. Verosimilius igitur *Missa* vocabulum Latinum est, à voce latina: *mitto* derivatum. Cur verò hoc Ss. altaris Sacrificium nomen *Missa* à mittendo sortita sit, non omnes causam tradunt eandem. *Calvinus* Lib. 4. Instit. cap. 13. cum plerisque suis *Missam* vult dictam à *mittendo*, eo quod olim fieret ex donis à populo missis, & in unum collatis sacra cena, & epulum daretur pauperibus, *Missam* ratione hac confundens cum *Agape*, seu Christianorum convivio, in susceptione Eucharistiae alias fieri consueto. Verùm expositio hæc nullum habet ab antiquitate testimonium, & falsa omnino est, quatenus *Missam* confundit cum *Agape*. *Agape* autem erat communis cena & convivium publicum, quod in primitiva Ecclesia ad exemplum Christi, qui ante Ss. Eucharistiae institutionem, coenam prius communem & usualem cum suis servavit discipulis, à Christianis ad mutuam charitatem fovendam, refocillandosque pauperes, in sacra-fæcunda Eucharistiae susceptione fieri consueverat, adeo, ut pauperes & divites simul in unum convenientes una ceñarent in Ecclesiis, simulque sacratissimam perciperent Eucharistiam. Quonam autem tempore, an ante, vel post Eucharistiae sumptionem servata *Agape* hæc fuerit, sunt, qui ante sacram Eucharistiae communionem tempore Apostolorum variis in Ecclesiis præcipue verò Corinthiorum

¶

thiorum Agapen hanc sumptam fuisse volunt: idque ex eo erui putant, quod Christus ante distributionem Eucharistiæ prius cum Discipulis cœnam servaverit communem, & Paulus 1. Cor. 11 scribat: *convenientibus vobis in unum jam non est dominicam cœnam manducare, unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum, id est: suam cœnam prius, quam dominicam cœnam, idque etiam non expectatis pauperibus sumere præsumit, adeo, ut ea de causa divites ebrii, pauperes vero esurientes forent.* Verum communior sententia est, Christum utique præmisisse cœnam sacram communem & usualem, & deinde cœnam Eucharistiæ exhibuisse, idque propterea, quod id sic rerum ordo ferebat, ut legalia primum consummarentur, & deinde, quæ novæ legis essent, inciperent. Attamen Apostolorum modo tempore communi totius Ecclesiæ consensu actum esse, ut nonnisi jejuni fideles in Ecclesia sacram sumerent Eucharistiam, & post sumptam hanc Eucharistiam Agapen sumerent consuetam, uti S. Augustinus Epist. 118. docet, placuit Spiritui sancto per Apostolos, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi, & ideo per universum orbem mos iste servatur. Morem hunc ante Augustini tempora viguisse scribit Tertullianus L. 2. ad uxorem cap. 5.: *non sciet maritus (infidelis) quid ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum esse credit, qui dicitur.* Adstipulatur quoque S. Chrysostomus in Ep. 1. Cor. Hom. 27. *Statutis diebus mensas faciebant communes, & peracta Synaxi post Sacramentorum communionem, omnes commune inibant convivium, divitibus quidem cibos adferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescientibus.* Oecumenius quoque in ipsam Pauli Epistolam ait: *Præcipuis diebus sive festis post sacrorum Mysteriorum participationem, agebantur communes cœnæ præparantibus illas divitibus, ac pauperes invitantibus.* Postea vero ob luxum, dissensiones & alios abusus, qui sensim irrepserant, sublatæ sunt, ut scribit S. Augustinus lib. 6 conf. cap. 2. Ex his nunc omnibus aperte constat, diversam fuisse Agapen ab ipsa S. Eucharistia ac sacrificio Eucharistico, & Agapen cœnam in se vulgarem fuisse, non Eucharisticae & sacram.

XXIII. Aliis placuit dici *Missam*, quasi *transmissam*, eo quod populus per ministerium sacerdotis preces ad Deum, oī nūmque purissimam oblationem transmittat. In fine Missæ, inquit S. Thomas, Diaconus populum licentiar dicens: *Ite missa est*, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta. Pariter Gregorus Magnus Lib. 4. Dialog. cap. 58 habet: dicitur *Missa* quasi transmissa, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris Deum inter & homines preces & Supplicationes transmittat Altissimo. Ipsum vero sacrificium, id est hostia *Missa* vocatur, quasi *transmissa*, primo nobis à Patre, ut esset nobiscum per Incarnationem, postea Patri à nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per Passionem, ut & in Sacramento

mento primum nobis a Patre per sanctificationem, postea Patri a nobis per oblationem. Nicolaus Beguinus Rhemensis *Lib. 2. de Paschate, a mittendo derivata* esse ait *Missam eo sensu*, quo Christus à Patre ad nos reconciliationis hostia missus, ad Patrem ope sacrificii in odorem suavitatis remittitur à nobis.

XXIV. Alii denique, quorum sententia & præplacet, à missione populi *Missæ* nomen ortum esse asseverant, ita, ut Missa idem sit, ac missio populi, seu licentia discedendi. Et hæc, ait Dufresnius in *Glossario* verbo *Missæ* constans est, & recepta ab omnibus ferè eruditis viris sententia. Cum vero in nostra sacrificii hujus *Liturgia binæ dimissiones* erant, quarum altera Diaconus Catechumenos & infideles post *Evangelium*, altera cæteros omnes, Missa perfecta illis dimittebat verbis: *Ite Missa est*, quæ secunda dimissio etiamnum remanet, inde sacrificio nostro *Missæ* nomen inditum est. Ab hac dimissione dupli, duplicis quoque *Missæ* nata est distinctio: unius *Catechumenorum*, *Fidelium* alterius; cum enim, quo tempore *Catechumeni* templo aderant, nulla Eucharistiae oblatio fieret, post *Evangelium* & sermonem habitum, *Catechumeni*, penitentes, infideles & alii, quibus veritum erat, Sacramentorum participationi interesse, à Diacono dimittebantur hac voce: *Siquis est Catechumenus, exeat foras*, & hæc dicebatur Missa, seu dimissio *Catechumenorum*. Altera Missa erat, cum re divina totaliter perfecta Diaconus cæteros omnes fideles dimittebat dicens: *Ite Missa est*, & hæc missio, seu dimissio fidelium vocabatur. *Ecce*, ait, S. Augustinus sermone 46. de verbis Domini, post sermonem fit missio *Catechumenorum*, manebunt fideles. Isidorus lib. 6. orig. cap. 19. *Missæ*, inquit, sacrificii est, quando *Catechumeni foras mittuntur*, clamante *Levita*: *siquis Catechumenus remansit, exeat foras*, & inde *Missæ*. Florus Magister & Remigius Antisiod. in fine expositionis *Missæ*: *Missæ*, inquiunt, nihil aliud intelligitur, quam dimissio seu absolutio, quam celebratis omnibus, tunc Diaconus esse pronuntiat, cum populus à solemnī observatione dimittitur. Hugo Victorinus lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 41. habet: *Dicit Diaconus: Ite Missæ est, quasi revertimini ad propria, & ab hac missione, id est dimissione, Missam dicunt appellari.*

XXV. Quod autem mittere sœpius pro dimittere sumatur, nemo in lingua tantisper versatus, ignorat, quodque ly *Missæ* in substrato sensu non nomen exoticum, sed à politioribus latinis antiquitus modo pro dimissione usurparum fuerit, constat ex Avito Viennensi Archi-Episcopo, qui circa finem V. sæculi floruit. Is Ep. I. ad Gundobadum Burgundiorum Regem, non missum facitis, inquit, nihil est aliud, quam non dimittitis, à cuius proprietate sermonis, in Ecclesiis, Palatiisque five praetoriis *Missæ* fieri pronuntiantur, cum populus ab observatione dimittitur. Cicero quoque in fine Philipp. 5. placere dixit, *Legiones bello confecto missas fieri*. Et Suetonius in Caligula cap. 25. ubi agens de

Lollia Paulina, quam uxorem duxerat, brevi, ait, missam fecit, hoc est: dimisit. Ab hac igitur dimissione populi, quæ re divina peracta fiebat, translata fuit vox: *Missa*, ad significandas res ipsas, quæ gerebantur. In significatione hac vox: *Missa*, modo saeculo II. usurpata fuisse legitur in Epist. Pii R. P. ad Justum Episcopum Viennensem, quam ex archivio Viennensi desumptam Baronius annalibus inseruit. In ejus initio sic loquitur S. Pontifex: *Soror nostra Eu-prepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus.* Extat etiam alia Cornelii Papæ ad Lupicinum ejusdem Viennensis Ecclesiæ Episcopum saeculo III., in qua ait: *non licuisse tunc Christianis neque in cryptis notioribus publicè Missas agere propter acerrimam persecutionem.* Epistolæ hæc à pluribus ut genuinæ admittuntur, *Card. Bona Rer. Liturg. L. 1. C. III.* Imo præclarum hujus vocis Missæ testimonium habetur in Conc. Carthag. V., vulgo II. quod ab Africanis variarum Ecclesiarum præsumilibus anno 390. celebratum fuit, ubi Can. 3. statuitur, *reconciliare quemquam in publica Missa presbytero non licere.* Conc. Carthag. III. an. 397 celebratum Can. 29. habet: *Missam non nisi à jejunis celebretur.* S. Ambrosius serm. 34. ait, *moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie Missam audiat.* Ex quibus perspicue constat, quam falso quidam D. D. Adversariorum asserant, usum hujus nominis *Missa*, prout accommodatur celebratio Eucharistiae, significatque sacrificium novæ legis, tantum cœpisse circa tempora Augustini. Ecce autem ab hac populi dimissione tota sacrificii actio nomen traxerit, congruentior non appareat ratio, nisi voluntate Majorum id contigisse, cum enim per tria ferè saecula publicos coetus habere non liceret, obmetum persecutionis in speluncis & cryptis cultui sacro vacare cogebantur: Gentiles enim eos ubique turbabant, & omne sacrum instrumentum diripiebant; hinc locum, tempus, vasa sacra, aliaque instrumenta ad Dei cultum spectantia, summo studio gentilibus occulabant prisci Christi fideles, & ita etiam sacrificium ipsum sacramque Eucharistiam sub obscuris nominum *Missæ & Fermentati* involucris celare fatagebant, ne alienis profanisque hominibus sacra proderentur mysteria. Quod & observat Casalius de Veter. Christian. ritibus cap. 9. atque ante ipsum Joseph Vicecomes de Missæ rit. lib. 1. cap. 7. haec subdens: *satis constat veteres Ecclesiæ scriptores legentibus, fidei Christianæ imbutos mysteriis olim summo studio elaborasse, ut mysteria sua sacra non modo oculis, sed etiam intelligentiae subducerent.*

XXVI. Porro, cum Missæ nomen nonnunquam ad plura diversaque significanda reperiatur adhibitum, ne quis deceptus æquivocatione nominis à vera, de qua agitur, rei aberret intelligentia, hæc notata sunt: *Primo: nomen Missa pro dimissione, seu missione à quovis ecclesiastico officio legitur apud Cassianum lib. 2. instit. cap. 11. ubi ait: Die dominico una tantum Missa, hoc est:*


est: dimissio ante prandium sit; * quod tunc temporis Monachi die dominico semel tantum convenerint, & officia, quæ ante prandium dicere consueverunt fine intervallo & dimissione uno contextu simul cum solemnii officio recitaverint. Sanctus quoque Benedictus in Reg. cap. 17. habet: post expletionem trium Psalmorum, recitetur lectio una, Versus & Kyrie eleison, & Missæ sint, & in fine Kyrie eleison Benedictio, & Missæ fiant. Quam phrasin S. P. ipse inter supra cap. 12. ubi de matutinis, laudibus egit, explicans, canticum, inquit, de Evangelio, Lytania & completum est, & in fine cap. 9. Supplicatio Lytaniæ, id est Kyrie eleison, & sic loco Missæ fiant, ponit; finiantur vigiliae nocturnæ.

Secundo: Legitur nomen Missæ olim pro collectis, sive orationibus, quæ in Missæ sacrificio dici solent, quandoque acceptum, ut in Concilio Millevitano II. cap. 12. an. 416 celebrato, quod statuit: placuit, ut preces vel orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerunt in Concilio, ab omnibus celebrentur.

Tertio: Idem nomen Missæ pro lectionibus usurpatur. Sic S. Aurelianus Arelatensis Episcopus in regula monasterii, quod Iussu Childeberti Regis Arelati constructum fuit, modum psallendi praescribens ait: *Sexta feria post nocturnos due Missæ fiant in aestate, in hyeme tres. Die dominica omni tempore & in aestate & in hyeme post nocturnos sex Missæ fiant.* Et paulo post: *in natali Domini, & in Epiphania dicite unum nocturnum, & facite sex Missas de Isaia Prophetæ, iterum dicite secundum nocturnum, & legantur aliae sex de Evangelio.* Ubi luce clarius constat, Missam accipi pro lectione, quo sensu quoque eadem voce utitur S. Cæsarius in Reg. cap. 21. Qua autem de causa Missæ nomen Lectionibus attributum fuerit, nescitur, nisi forte ex eo evenerit, quod, dum leguntur lectio-nes, psalmorum decantatio dimittitur.

Quarto: Soler interdum ly Missa pro quolibet accipi divino officio. Hoc sensu Missæ meminit Con. Agathense cap. 30. statuens, quod in conclusione Missarum matutinarum vel vespertinarum post hymnos, capitula de psalmis dicantur. Et Cassianus sup. cit. cap. 13. ait, *quod post Missam nocturnam, id est officium nocturnum dormire non oporteat.*

Quinto: Quia Missa actio præcipua est, quæ in festo die peragitur, ideo nomen Missa pro ipsa festivitate passim usurpatur, ita, ut Missa S. Martini, Missa S. Joannis idem sit, ac festum S. Martini, festum S. Joannis, & quia multis in locis statæ & annuae nundinæ festis diebus annestebantur, idque ob populi frequentiam ad Missas celebriores confluentis, ut patet ex charta Dagoberti Regis Franc: apud Dubletum Lib. 3. cap. 3. cognoscat Sollicitudo & prudentia vestra, qualiter volumus & constituimus in honore Domini, & glorio-



Patroni nostri Dionysii mercatum constituendo ad missas, ipsa, quæ evenit septimo idus Octobris semel in anno. Hinc ortum traxit Germanorum usus, missæ nomen nundinis publicis attribuendi v.g. Frankfurter Missæ, Strassburger Missæ. vide Dufresnum verbo: Missa.

Sexto: pro Missa Catechumenorum vid. N. XXIV. Hæc missa inde orta est. Vigente in primitiva Ecclesia severiore disciplina, anxie admodum & sollicitè cavebant Patres antiqui, ne ulla ipsis esset communicatio cum impiis profanis & impuris hominibus, quos non solum à mysteriorum participatione, sed ipso etiam aspectu arcere solebant; ideo cancellis & velis Ecclesiarum sanctuaria undique erant clausa, ne quisquam in ea aut nondum fide christiana imburrus, aut aliqua forde pollutus introspiceret: cumque inchoarentur eorundem mysteriorum solemnia, omnes indigni à Diaconis ejiciebantur, ab hacque dimissione vocabatur missa Catechumenorum. Hæc missa primis saeculis Ecclesiæ aliquot precibus & psalmis constabat, quibus absolutis voce Diaconi dimittabantur Catechumeni, aliique indigni; sed cum postea Ss. Patres & Episcopi animadvertisserent, sermones & scripturarum expositiones plurimum ad infidelium conversionem, cæterorumque instructionem conferre, admissi sunt omnes in Ecclesiam, donec lecto Evangelio fieret sermo, quo habito & illis exclusis Missa incipiebat fideliū, ita sanctum fuit in Con. Carthaginensi IV. cap. 84. ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem sive hæreticum aut Judæum usque ad Missam Catechumenorum, quam Missam utique Diaconus celebrare poterat.

Septimo: Nomen Missa pro ea parte Missæ accipitur, quæ est ab offertorio usque ad finem: & dicitur: Missa fideliū. Hoc sensu missæ nomine utitur Cæsarius Arelatensis Hom. 12. ubi inquit: Si diligenter attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ, quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, ac corpus & sanguis Domini consecratur: nam lectiones sive Propheticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas etiam in dominibus vestris aut ipsis legere, aut alios legentes audire potestis, consecrationem verò corporis & sanguinis Christi non alibi, nisi in domo Dei audire & videre poteritis.

Octavo: Tandem sumitur pro tota divini sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Catechumenorum & fideliū Missam. Hæc acceptio adeo communis est, ut recentiores vix aliam agnoscant hujus nominis significationem. De Missa hoc sensu sumpta loquitur Conc. Agathense an. 506. Can. 47. Missas die dominico a sæcularibus integras teneri, id est: audiri præcipit, ita, ut ante benedictionem sacerdotis egredi non præsumant; quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

XXVII. Et hæc est Missæ notio, de qua nobis impræsentiarum sermo, & ut hodie in Ecclesia sumitur, constatque partibus duabus: prior substantia ipsa est, uti à Christo instituta, consistitque in Joblatione, consecratione & communione. Posterior ab Apostolis aliisque Ss. Patribus in celsissimi Sacramenti honorem adjecta est, consistitque in solemnitatibus & ritibus quoad Vestes, Paramenta Altaris, Orationes, Lectiones, Cantica, Cæremonias, & similes pro Dei & altissimi Sacramenti reverentia, fidelium devotione, & ipsius actionis celebritate constitutis. Per Missam igitur juxta generalem fidelium intellectum & Ecclesiæ usum, nihil intelligitur aliud, quam tota illa ab introitu usque ad finali benedictionem sacra actio, qua in sacrosanctæ Christi iussionis commemorationem panis & vinum ex Christi institutione consecratur, atque corpus & sanguis Christi sub panis & vini speciebus Patri cœlesti *primum* offertur, & demum in animæ nostræ alimoniam sumimus. Et de Missa in hac notione intellecta impræsentiarum nobis cum D. D. Adversariis quæstio est, utrum *Missa* verum sit sacrificium, id est: utrum actio illa sacra, in qua conficitur Eucharistia multis precedentibus & sequentibus precibus ac cæremoniis veram ex institutione Christi habeat rationem sacrificii; non enim quærimus, an singuli ritus illi à Christo sint instituti, ac de sacrificii veri essentia, sed an inter ritus illos reperiatur aliquid, quod propriè sacrificium sit, ad quod ritus reliqui referantur omnes.

§. IV.

Pro statu legis Evangelicæ existere aliquod sacrificium ab ipsa lege statutum, illique legi peculiare, constans perpetuusque omnium legum ostendit usus manifestæ evincunt rationes** Propheta prædictus Malachias*** Christus Dominus**** aperte docet.*

XXVIII.* In lege Evangelica verum propriumque existere sacrificium, negant D. D. Adversarii omnes, eo quod negent realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, aut hanc non nisi transeunter, in ipsa actuali manducatione confiteantur. Ast dicant ergo nobis D. D. Adversarii, ut verbis Petri Abbatis Cluniacensis utar, cur ipsis, licet Christianis sacrificia Christiana non placeant, cum tamen sacrificiorum signo suos ab alienis semper se creverit Deus, & honorem creatori singulariter debirum ab honore, quo se invicem homines juxta Paulum Rom. I. prævenire debent, hoc maximo signo distinxerit? Recolant antiqua sæcula, generationem sanctorum ab Adam usque ad Christum discutiant, & invenient, aut nullos aut raros Deum absque ritu sacrificiorum coluisse. Videbunt certe primum illum & justum Abel Deo munera offerentem, & Deum super illius munera inflammantem Gen. 4. Videbunt

C 3

Noe

Noe post diluvium novi saeculi primordia sacrificiis dedicantem. *Gen. 8.* Videbunt Abraham praeter alia sacrificia etiam filium colligatum in Altari super Istrum lignorum ad immolandum collocasse, sed, ne vota impleret, ab ipso, qui hoc jussicerat, prohibitum fuisse. *Gen. 15.* Videbunt Jacob motum visione Dei & Angelorum, in Divinitatis, quam viderat, honorem erexit lapidem, & sudisse oleum desuper. *Gen. 28.* Videbunt denique in terra Hus simplicem & rectum Jobum diluculo consurgentem, & pro singulis filiis holocausta offerentem, dicentemque, ne forte peccaverint filii mei. *Job. 1.* Procedant inde ad magni Moysis tempora, totamque hebreorum stirpem, & invenient Moysen, stirpem Aaronicam sacrificiorum hostias, & ritibus diversas, & pluralitate innumeris pene assidue Deo offerentes, in tantum, ut, juxta quod Apostolus ait, *sine sacrificio & sanguinis effusione non fieret remissio peccatorum.* Et doceantur ex his D. D. Adversarii Patres antiquos, & omnes priorum temporum justos Deo maximè per sacrificia, Deitatis honorem omnibus à mundo condito saeculis exhibuisse. Mirum profecto valde esset, si præcipius hic Deitatis cultus solique Deo debitus in Lege Evangelica Deo deferendus esset nullus, qui omnibus temporibus summo studio sollicitaque devotione ipsi exhibebatur semper. Mirum, si Christiani arcerentur soli a Sacrificiis uni Deo offerendis, cum Patriarchæ, Judæi, Gentiles Deo sacrificare ab ipsomet Deo iussi legantur. Mirum nunc denique in Lege Evangelica de mundo auferri Sacrificia, cum nunquam mundus in retroactis generationibus absque Sacrificiorum fuerit sacris, nec enim in profundis ignorantiae tenebris ita a Deo periit, ut non haberet aliquos, et si paucos, qui Deum per Sacrificia colerent.

XXIX. ** Quod igitur constans perpetuusque omnium saeculorum ostendit usus, hoc quoque manifestæ evincunt rationes.

Prima: Tanta est connexio Religionem inter & Sacrificium proprium, ut nulla unquam Religio sive vera sive falsa sine proprio suo extiterit Sacrificio; ostendant enim D. D. Adversarii unam aliquam ab orbe condito Religionem suo carentem Sacrificio. *In qualibet ætate,* inquit D. Thomas, & apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua Sacrificiorum oblatio; quod autem est apud omnes, videtur naturale esse: ergo & oblatio Sacrificiorum est de jure naturali. Hoc ostendit quoque Gentilium de Sacrificio Diis offerendo & mos & idea. Plato *Lib. XII. de Rep.* tradit Sacerdotes magna claritate oportere abundare propter eorum, quæ tractant, magnitudinem. Et *Dialog. 8. de legibus* necessitatem esse ait, ut semper unus ex Magistratibus Deorum alicui pro Civitate sacrificet. Aristoteles *Lib. III. polit.* testatur heroicis temporibus Reges divinæ rei cultum exercere solitos, Sacrificia tamen insignia Sacerdotibus reservata fuisse. Quapropter monet in Republica Sacerdotes honoratissimos constituedos

dos esse. Tantus honos apud veteres natura duce Religioni est praestitus, ut nulli, nisi Principes & optimates Sacrificiorum erga Deos suos haberent facultatem. Et credamus nos, Christum qui non venit legem solvere, sed adimplere, suoque modo magis perficere, delipuisse adeo, ut Religionem omnium praestantissimam instituerit quidem, Sacrificium tamen, quod est Religionis cujuscunque character & tessera, aboleverit ab ea. Nulla Religio sine Sacrificio, & Religio Christiana dilecta Christi sponsa, sola Sacrificio carebit & Sacerdotio? Christus vetus Testamentum cum Sacrificio suo & Sacerdotio abrogaverit, quin cum nova lege Sacrificium novum substituerit, & novum Sacerdotium? Hoc aperte repugnat Apostolo Heb. 7. *Necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici: translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Igitur teste Paulo Sacerdotium vetus non estabique substituto novo, penitus cassatum, sed ab ordine Aaron in lege nova ad aliud secundum ordinem Melchisedech translatum. Ulterius Heb. 10. *Aufert primum Sacerdotium Aaronicum, ut statuat sequens Sacerdotium & Sacrificium novum secundum ordinem Melchisedech.* Est ergo in lege nova Sacerdotium, per consequens & Sacrificium; ad quid enim Sacerdotium, nisi ad Sacrificium; duo enim haec correlativa sunt, quorum unum sine alio subsistere nequit.

Secunda: Causæ, cur Hebræorum populus Sacrificia habuerit propria, in populo quoque reperiuntur Christiano. Habuerunt Hebræi Sacrificia propria, quia populus erat visibilis, spiritu constans & carne; at populus quoque Christianus populus est visibilis spiritu & carne constans. Habuerunt illi Sacrificia, ut Christi mortem, quæ est unica salus nostra, saepe sibi repræsentarent, obliviscerentur que nunquam, cum eam præsentem intueri non possent; at quoque Christiani Christi mortem utpote præteritam, præsentem intueri nequeunt: ergo & hi quoque indigent Sacrificio, quo mortem Christi, ne illius obliviscantur, jugiter commemorent. Habuerunt illi Sacrificia, quibus Deum honore Deo soli proprio colerent, placarent, & vel beneficia ab eo impetrarent, vel pro impetratis gratias agerent; tribus enim his de causis Deo sacrificandum & Theologi Gentium existimarunt, teste Prophyrio Lib. 2. de abstin. §. 24. *Tribus, inquiens, de causis Diis sacrificandum est, vel ut eos honore afficiamus, vel ut gratum erga eos testemur animum, vel ut bona ab iis impetremus;* atqui his iisdem de causis Sacrificiis quoque indigent Christiani, eoque id magis, quo plura à Deo præ cunctis nationibus cæteris accepere beneficia. Unde Petrus Cluniacensis ait: *Qui Sacrificium de Ecclesia tollere cupiunt, id tentant diabolo suggestente, ut gens illa Deo præter cæteras sit ingrata, quæ præter cæteras pluribus & majoribus à Deo beneficiis ornata est.*

XXX. *** Luculentissimus quoque veritatis hujus testis existit Malachias
Pro-

Propheta, qui in persona Dei his Cap. I. Judæorum Sacerdotes alloquitur verbis : *Ecce non est mihi, inquit Dominus, voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus*, dicit Dominus exercituum.

En tibi profecto duo insignia nostri impræsentiarum intenti argumenta ; adeo manifesta ; ut signantius nihil afferri valeat. Duo enim Propheta hic prædictit : *Unum, abrogationem Sacrificiorum veterum, dum ait : non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Alterum : Sacrificium novum omnino mundum loco Sacrificiorum à Gentibus Deo offerendum, dum subjungit : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda* : e quibus plenis fluit velis, existere aliquod proprium in L. N. Sacrificium, ab illa lege statutum, illique legi peculiare. In cuius demonstratione ut procedatur firmius, haud dubito, daturos nobis esse D. D. Adversarios, extra litem positum, Prophetam vaticinari hic novi cujusdam institutionem Sacrificii ; &, si hoc, edicant nobis, an loquatur Propheta de sacrificio quopiam novo, in veteri vel nova lege instituendo : si de Sacrificio in L. N. instituendo intelligendus veniat, intelligendusne tunc est de sacrificio quopiam propriè vel impropiè sumpto ?

XXXI. Primo docuit Rabbi Abarbenel, Malachiam de Gentilium loci victimis, quas eo ipso tempore Gentiles Deo immolabant, hac ductus ratione, quod Propheta in præsenti loquatur & de tempore suo : cum dicat : *magnum est nomen meum, & in omni loco offertur, & sacrificatur nomini meo*. Ast, quis in Prophetarum scriptis adeo hospes est, ut nesciat eos sæpe præsenti uti pro futuro ? cum res futuras ita certo noscant, Deo eis indicante, ac si præsentes intuerentur. Malachias procul dubio de Sacrificio locutus est futuro, loquitur enim de Sacrificio, Sacrificiis hebraicis, quæ abroganda dicit, successuro : ut ex ipsis Prophetæ verbis : *munus non suscipiam, quod tempus denotat futurum, de manu vestra*; tum ex ipsa constat Judæorum Historia, è qua Judæorum Sacrificia per 400 ferè post hoc vaticinium annos, ut à Deo præcepta, Deoque grata perdurasse adhuc notum est. Minus veritati consonum est, Malachiæ verba de Gentilium Sacrificiis accipienda fore; Sacrificium enim, quod hic prædictit Propheta, unum nuncupatur & mundum; Sacrificium vero Gentilium, quod tempore Malachiæ siebat, certè non unum, sed respectu oblationis æquè, ac modi sacrificandi multiplex erat. Nec erat mundum, minus Sacrificiis Judaicis mundius, sive ipsa consideretur victima, quæ æquè, ac in Sacrificiis Judaicis animal erat, aut fructus terræ; sive ipsa offerentum sanctitas : erant enim Gentiles homines peccaminosi, quoad partem potissimum idololatriæ, Dæmonem in ipsis idor

idolis adorantes. Et quanquam tunc temporis numerus iniquorum inter Judæos quoque copiosus erat, numerus tamen eorum inter Gentiles major erat. Fuerint etiam inter Gentiles eo tempore quidam pii Deoque accepti, evictum tamen est, eorum semper inter Judæos extitisse plures, veluti quibus lux fidei multò luxit clarius, & gratiae impertitae sunt copiosius. Minimè ergo Sacrificium, quod Prophetæ vaticinatur futurum, quo Deus ab ortu Solis usque ad occasum singulariter & magis, quam ab Hebræis, honoratus fuerit, Gentilium Sacrificium esse poterit.

XXXII. Secundus: Rabbi Jarchi vaticinium hoc intelligi docet de precibus Israelitarum in captivitate dispersorum, aut de Sacrificiis, quæ Judæi dispersi missa pecunia Hierosolymis offerri curabant. *Baruch 1. v. 10.* Imo & Judæis modernis, quorum preces erunt inter Gentes sicut Korban juxta paraphrasin Chald. R. Jonathan, quæ vaticinum istud sic vertit: *Quoniam ab ortu Solis usque ad occasum ejus magnum est nomen meum inter gentes, & in omni tempore, quo facietis voluntatem meam, ego recipiam preces vestras, & nomen meum magnum sanctificatur per manus vestras, & preces vestrae erunt sicut Korban coram me.* Ast, præterquam, quod hic de proprio agatur Sacrificio, quale non sunt preces, expositio hæc cariosa est, quia Israelitæ tunc temporis versus ortum & orientis provincias dispersi fuerant, non vero versus occasum; quia Prophetæ Sacrificium prædictum, quod à Gentilibus ipsi, puta ad fidem conversis, non verò à Judæis inter Gentes offerendum erat. Sacrificium enim hoc Gentium Judæorum Sacrificiis op. & anteponitur. Consequens igitur est, hic de Sacrificiis missa pecuniâ Hierosolymis oblatis sermonem esse minimè: ea enim Sacrificia prorsus non fuerunt, per quæ Deus à gentibus inter gentes, idque toto orbe terrarum magnificatus dici posset. Paraphrasis Chaldaica textûs falsificatio, non expositio est; contradicunt enim eidem verba immediatè sequentia: *quoniam magnum est nomen meum inter gentes;* ideo enim, quod Deus magnificetur in gentibus preces Judæorum non fiunt sicut Korban, id est idem, ac donum Deo in templo oblatum.

XXXIII. Persistit igitur confectum, Malachiam novum aliquod prædicere sacrificium in N. L. instituendum; sed quale? Proprium recte propugnant Catholicæ; Improprium asserunt D. D. Adversarii absquè ulla tamen, ut apparebit, veri specie. Etenim S. Scripturam, ni aliud exegerit necessitas, in sensu semper sumendam esse naturali, proprio & obvio, Acatholici cum Catholicis contentiunt: quo pacto naturalis propriusque prædictis Malachiae verbis adjudicandus est sensus, si ipsamet verba, prout jacent, si antecedentia & consequentia textus, si Prophetæ scopus sensum hunc naturalem & proprium exposcant: quibus si vetustissimarum ex hebraico versionum concordantia, Ss. Patrum consensus, judiciumque universalis Ecclesiæ accedat, nemini fata vaticinii verba de

alio, ac sacrificio quopiam proprio interpretari absque temeritatis nota licebit; singula verò recensita pro sensu stare proprio, quis prudens concipiet dūbiū?

XXXIV. *Primo enim ipsa, quod attinet, Prophetæ, prout jacent, verba, ubi in nostra v. 11. Vulgata legitur: In omni loco offertur & sacrificatur nomini meo oblatio munda, loco oblatio munda,* hebræus legit *Mincha* (sacrificium, quod ex farina constabat quandocunque autem Mincha rem denotat sacrificia-ram Deo, sacrificium semper significat omnino proprium, nisi quod piam ad-junctum habeat verbum, improprium exposcens sensum; atqui in textu hebraico Ly *Mincha* solitariè & absque ullo poni verbo adjecto, sensum extorquente improprium, nī fallant oculi patulum est.

XXXV. *Secundo, aliud quoque totus Prophetæ contextus, Prophetæ-que scopus strictè perpensi, innuunt minimè: Mincha enim gentium, de quo in versu 11. In omni loco offertur, & sacrificatur nomini meo oblatio munda;* Mincha procul dubio significabit idem, quod Mincha Judæorum in versu 10: *non suscipiam munus Mincha de manu vestra*, hoc tamen cum discrimine, quod Judæorum Mincha v. 10. figura sit, hoc Mincha gentium res p̄figurata. *I. Cor. 10. v. 6.* Illud immundum, hoc mundum, illud abrogandum, hoc sub-stituendum; si igitur Judæorum Mincha, de quo v. 10. proprium visibleque fuerit sacrificium, profectō hoc gentium Mincha illi Judæorum Minchæ vi v. 11. oppositum, sacrificium improprium & invisibile prorsus esse nequit, quod & hoc unicum, si cætera deessent, penitus conficeret, scilicet, hoc gentium Mincha propriissimè habere, quod sit, ut prædictit Propheta, unum & unicum sacrificium, quod ab ortu Solis usque ad occasum à gentibus ad veram fidem conversis offeretur: sacrificia verò impropria & invisibilia sanè unum & unicum illud, quod Propheta prædictit, esse nequeunt. Insuper sacrificium hoc unum & unicum I. sacrificium novum est & singulare: damus, non exprimunt charac-terem hunc verba, requirunt tamen illum sensus & significatio textū: depræ-dicatur enim sacrificium hoc, futurum N. T. sacrificium à gentibus in omni of-ferendum loco, & veteri Judæorum sacrificio successurum, hoc profectō no-vum quid & singulare dici meretur. Contemplemur nunc quoque sacrificia impropria orationum, laudum & bonorum operum, & videbimus ea non nova esse, utpote à primis mundi initiis usurpata, nec veteribus Judæorum sacrificiis subsecuta, quinimo iisdem ipsis, ne hypocritica erant & impia, necessario sem-per conjuncta; quid igitur in iis singulare? II. Hoc gentium sacrificium spe-ciali prærogativa sacrificium vocatur mundum, quod nulla valeat offerentium malitia maculari; si enim haec inquinari posset via, sacrificia vetera coequare quidem, non verò excellere dici posset. Quis autem nescius est, preces cæ-te-raque fidelium opera variis coinquinari posse modis? Imo D.D. Adversariorum doctrinæ

doctrinæ insistendo, omnia opera nostræ, ut ut bona, peccaminosa sunt, immunda & coinquinosa; quo igitur jure opera hæc sacrificium mundum vocare audent?

XXXVI. Tertio: Præfata spiritualia sacrificia à quolibet Christiano peragi possunt; sacrificium vero istud mundum, quod Propheta v. 11. prædictum futurum, soli offerent N. T. sacerdotes. Alloquitur enim Malachias non omnem Judæorum populum, sed sacerdotes solos dicens: *ad vos o sacerdotes, qui despiciatis nomen meum.* His autem Judæorum sacerdotibus non totum opponit N. T. populum, sed solos sacerdotes N. T.; nam postquam cap. 1. dixerat: *offertur nomini meo oblatio munda, exponit cap. 3., à quibus offerenda sit ista munda oblato: purgabit, inquit, filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt offerentes Domino sacrificium in justitia, ubi per filios Levi intelligi nequeunt Levitæ T. V., quia loquitur Propheta apertissimè de sacrificio Ecclesiæ Christianæ, & Sacerdotes Leviticos jam reprobaverat. Et denique initio capituli legimus: Ecce ego mitto Angelum meum. Quæ verba exponit ipse Dominus de Joanne Baptista Math. 11., & inde cogimur totum hunc locum de adventu Domini ac tempore N. T. intelligere. Nec possunt intelligi per filios Levi omnes Christiani, quia filii Levi una tantum pars erant in populo Dei, non totus populus; Isaiae enim 66. distinguuntur Sacerdotes à populo Christiano, cum dicuntur: *assumam ex eis Sacerdotes.* Non igitur omnes Christiani sunt Sacerdotes, sed certi quidam ex eis assumti, à quibus sacrificium hoc Malachiæ in omni offerendum erit loco. Si igitur sacrificium hoc, non à quolibet fideli, sed à sacerdotibus per Messiam sanctificatis, offerendum erit, profecto sacrificium non cuicunque commune, sed proprium sacerdotale sacrificium sit, necesse erit.*

XXXVII. Quarto: Quoad sanctos Patres, & versionum ex hebraico concordantium, omnes consentiunt Patres veteres, locum hunc Malachiæ de sacrificio proprio N. L. idque sacrificio Altaris, non de operibus bonis, quæ ab omnibus fieri possunt, intelligendum. Audiamus omnium loco Justinum in Dialogo cum Tryphone hunc locum disertis verbis exponentem de sacrificio Eucharistiæ, quod in specie panis & vini toto orbe offertur: *de nostris, inquit, gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & populo similiter Eucharistiæ jam tum locutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* Pari quoque modo vaticinum hoc omnes exponunt Bibliorum versiones; imo Lutherus ipse vertit sic: *In allen Orten soll meinem Namen geräuchert, und ein rein Speiß-Ofer geopfert werden.* Quæ verba certè sacrificio nequeunt competere improposito.

**XXXVIII. Cum munda igitur hac Mincha, aliud quid, quam sacrificium
D 2 N. L.**

N. L. idque omnimodè proprium venire nequeat, consectarium quoque ine-
luctabile est, Mincha hac à Propheta non prædicti sacrificium aliud, quam sacri-
ficium Missæ, quia sacrificium aliud proprium in Ecclesia non extat, huicque
soli competit I. quod sit sacrificium in cruentum *ein Speis. Opfer* ex simila triti-
cea & aqua primitus confectionum, ac proinde ob remanentia accidentia & man-
ducabilitatem magis propriè Mincha, quam preces aut corpus Christi cruentè
in cruce immolatum. II. Quod in omni loco Deo sacrificetur à gentibus &
inter gentes, idque jugiter ad magnificandum nomen divinum; plus enim di-
vinum nomen magnificari nequit, quam cum se Deus homo Patri offert, & ju-
giter offertur ad eum supremo latræ cultu honorandum: quæ sacrificio crucis,
quod non in omni loco, sed tantum Jerosolymis, non jugiter, sed tantum se-
mel, non à gentibus, sed à solo Christo oblatum fuit, convenire haud possunt.

XXXIX. Quæ obmovent contra hæc D. D. Adversarii, levioris sunt in-
dagnis; nullum enim sive V. sive N. T. locum adducere valebunt, in quo ly
Mincha solitariè & sine adjecto possum, aliud, quam proprium significet Sa-
crificium, si fermo sit de oblatione non homini sed Deo facta. Rabbini, qui
per Mincham puras preces intelligi voluerunt, errarunt. Sanctorum Patrum,
qui hic proprium prædicti Sacrificium negat, nullus est. Si quidam illorum,
ut Tertullianus, Mincha Sacrificium spirituale dixerint, volunt solummodo
Sacrificium hoc ex spiritu devotionis fieri, ut etiam Sacrificium Abelis spiri-
tuale Tertullianus vocat, eris visibile erat.

XL.**** Quod Malachias prædixit, docuit quoque Christus *Ioan. 4.* Mu-
lieri Samaritanæ dicens *V. 21.*: *Mulier credi mihi, quia venit, quando neque in*
monte hoc, neque in Hierosolymis adorabis Patrem. Et *V. 23.* *Venit hora &*
munc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Hic
Christus loquitur de adoratione non qualicunque, sed solemní per verum &
propriè dictum Sacrificium. Sicuti etiam Abraham *Gen. 22.* exspectate
bic.... postquam adoraverimus, revertemur ad vos, per ly adorare signifi-
cat sacrificare. De hac adoratione seu Sacrificio loqui Christum, vel inde
manifestum est, quia Christus respondebat ad quæstionem mulieris di-
centis: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos, Judæi, dicitis, quia*
Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Schisma enim erat inter Samarita-
nos & Judæos teste Josepho *Lib. 11. antiq. cap. 7.* ubi sacrificandum esset
Deo. Samaritani contendebant id in monte Garizim, Judæi vero, Hierosoly-
mis esse sacrificandum: Hinc Christus prædictit, futurum fore tempus, quo
nec in monte Garizim, nec Hierosolymis in Sacrificiis carnalibus, qualia offre-
rebantur in V. L. Deo sacrificaretur, sed aliud futurum Sacrificium in N. L.,
quo veri adoratores Christiani adorabunt Patrem, sacrificabunt Deo in spiritu
Sacrificium non carnale, ut Judæi faciunt, sed spirituale, & in veritate verum non
typi-

typicum, & quale hoc est aliud, quam Ss. Missæ Sacrificium? Opponitur igitur hic *spiritus carni & veritas figuræ*; erant autem Sacrificia Judæorum carnalia, quia in mactatione carnis & sanguinis effusione consistebant, & simul typi & umbræ erant futurorum; at Eucharistia Sacrificium *est spirituale*, quia per Spiritum sanctum & verba consecrationis efficitur, & simul est *verum & impletivum veterum figurarum*. Nec afferere possunt D. D. Adversarii, Christum hic loqui de adoratione simplici & Sacrificio proprio precum &c: nam loquitur Christus de adoratione nova, quæ antea non erat, & quæ initium haberet à Christo; adoratio autem simplex & Sacrificia impropria semper fuerunt in lege omni.

§. V.

Christus Dominus ac Redemptor noster in ultima sua cœna, pridie, quam pateretur, verum propriumque N. L. Sacrificium incruentum Corporis & Sanguinis sui sub speciebus panis & vini instituit, Patrique suo obtulit. *

MOMENTUM I.


Ex ipsis instituentis Christi Verbis.

XLI. * **R**em sic enarrant Evangelistæ. Matth. cap. 26. ait: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite & comedite: Hoc est corpus meum;* & accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: *bibite ex eo omnes: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Marci verba sunt cap. 14. & manducantibus illis accepit Jesus panem & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: *sumite: Hoc est corpus meum: & accepto calice gratias agens dedit eis,* & biberunt ex illo omnes, & ait illis: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucas cap. 22. narrat hoc pacto: & accepto pane gratias egit & fregit & dedit eis dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem;* similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* S. Paulus i. Cor. 11. eadem institutionis verba refert hoc modo: *Ego enim accepi, inquit, a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum; similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Audivimus verba, videamus & glossam.

XLII. *Cœnantibus autem eis, ait Matthæus: ubi in una eademque Christ cœna ultima tres sibi succedentes distinguere juvat cœnas: quarum prima fuit*

legalis, qua comedebatur Agnus paschalis: post hanc sequebatur cena communis, quam comedebant discubentes; cum enim ex solo Agno paschali omnes satiari nequibant familie personæ, præsertim, si illa ampla erat & numerosa, hinc post cœnam Agni, cœna addebatur communis & usualis: ad hanc adjunxit Christus cœnam tertiam facerrimam scilicet & divinam SS. Eucharistiae institutionem, hoc modo: *Cœnabitibus eis*, & ut Marcus ait: *manducantibus*, utique cœnam usualē, non tamen durante cœna adhucdum, sed statim ut cœna perfacta est, & postquam cœnaverunt quidem, uti Lucas & Paulus scribunt, antequam tamen a mensa surgerent, antequam mensurae ciborumque reliquiæ a mensa erant remotæ, quo sensu Joannes disertis cap. 13. scribit verbis, Christum cœna facta surrexisse à cœna, depositisse vestimenta sua, ut discipulorum pedes lavaret, & postquam lavit pedes eorum, vestimenta sua accepisse & iterum recubuisse, ut divina Sacramenta discipulis daret: *accepit Iesus panem & benedixit*; Lucas & Paulus addunt: *gratias egit*, hoc est, Dei benedictionem & omnipotentiam super panem & vinum invocavit, ut præsto esset in futuris etiam omnibus consecrationibus ad panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum, quando legitimate pronuntiarentur consecrationis verba: convertendum. Nondum igitur verba hæc erant consecratio ipsa; sed prævia solummodo oratio. Unde & in Liturgia nostra Christi exemplo petimus, ut Deus benedicat hæc dona, ut divina virtus in panem & calicem descendat ad consecrationem perficiendam. Hinc quoque Paulus 1. Cor. 10. dicit: *Calix benedictionis*, id est, potus calicis a Christo benedictus, *eui benedicimus*, quem & nos ad imitationem Christi benedicimus, *nonne communicatio sanguinis Christi est?* nonne ipsum sanguinem Christi nobis communicat? *Fregit*: hac in benedictione Christus usitatum apud Hebreos servavit modum, qui talis erat: in solemni convivio Paterfamilias mensæ accumbens, poculum vino refertum dextra apprehendit manu, incepitque orare: *Benedictus sis tu, Domine Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis*, quo dicto vinum gustavit, porrexitque proximo sibi assistenti; hic proximo sibi, sicque secundum ordinem faciebant omnes. Post calicis benedictionem Paterfamilias panem, quem oportebat esse integrum, accepit, eumque utraque manu tenendo his benedicebat verbis: *Benedictus sis tu, Domine Deus noster, qui educis panem de terra*, quo dicto panem fregit, distribuitque circumstantibus. Ad hunc modum Salvator noster accipiens panem, eundemque post benedictionem gratiarumque actionem fregit, deditque discipulis suis, cuilibet partem aliquam, dicens, id est: inter porrigidum dixit: *Accipite & manducate: Hoc est corpus meum*. Lucas addit: *quod pro vobis datur, offertur jam in Sacrificium*. Et Paulus: *quod pro vobis tradetur*; nondum enim habebant panem illum discipuli in manibus, minus in ore, quando dicebat Dominus: *Hoc est corpus meum*; sed inter dandum vi verborum illorum panis convertebatur in verum Christi corpus, eo modo, quo si quis animo donandi diceret tibi: *Hic est ager tuus, ager revera*

revera fieret tuus, in fineque prolationis verborum illorum tuus forer, qui anteā erat donantis: sic quoque in fine prolationis verborum Christi, id, quod anteā erat panis, non amplius panis, sed Christi corpus fuit. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes: hic est enim sanguis mens, in hoc calice post hanc consecrationem meam, vinum versum est in sanguinem meum, & in fine prolationis verborum meorum, jam non est in calice vinum, sed verus sanguis meus novi Testamenti, quo sancitur & confirmatur Testamentum & foedus novum, mediante me Deum inter & homines.* Lucas & Paulus scribunt: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine;* sed idem utriusque phrasis sensus est, videlicet: *Hic calix, quem manibus teneo, instrumentum authenticum est, quo novum sancitur Testamentum, & per meum sanguinem in eo contentum obsignatur.* Non ergo Christus sanguinem suum novi testamenti sanguinem appellavit, quasi sanguis ipsius ipsissimum sit novum testamentum ad intellectum D. D. Adversariorum, qui ex verbo hoc eruere conantur, actionem hanc Christi non fuisse Sacrificium; sed quia solebant omnes ferè Gentes victimarum sanguine sancire foedera, aliquando & leguntur soliti, qui aliquod inter se, quod Sanctissimum esse vellent, foedus stabilirent, tractum ex propriis venis sanguinem alterum alteri tradidisse, *Solinus Cap. 25.* & *Herodotus Lib. 4.* Hoc Christus fecit, dato ad bibendum Apostolis sanguine novum foedus sancire voluit, duodecim, qui aderant, Apostoli omnis Ecclesiæ, cum qua foedus inibat, personam repræsentabant; id ergo voluit Christus etiam verbis exprimere. Vetus testamentum dedicatum olim & firmatum fuit sanguine vituli sacrificati, quo sanguine tunc populus fuit aspersus dicente Moysè: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobis.* Ad hunc ergo sanguinem atque ad haec Moysis verba respexit Dominus, cum dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti, ac si diceret: veteri testamento successit novum, & sicut novum veteri melius, ita & novum honorificenter honorabitur, & confirmabitur sanctius, quam vetus.* Vetus confirmabatur sanguine vitulorum, cui non erat possibile, ut peccata aboleret, novum confirmabitur sanguine meo, qui valet, & fundetur in remissionem peccatorum. *Math. 26.* E quibus quoque colligitur, cur Christus, cum de corpore loqueretur, nullam de novo testamento mentionem fecerit, cum autem de sanguine loqueretur, fecerit, nimirum, quia sanguine foedera sanciebantur, quo ostenderent, paratos se cum discrimine etiam vitæ stare pactis. Eadem igitur potestare, quâ Pater per Iyfiat ex nihilo omnia in principio eduxit creatâ, Filius Dei isthic in verum corpus & sanguinem suum panis & vini immutat substancialias, cum ait: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, vox illius illud hic operatur, quod ait, atque illius vi ineffabili invisibilique ratione substancialis fit permutatio.* Aquam aliquando mutavit in Cana Galilææ sola voluntate in vinum, ait *Cyrillus Jeroſo: Catech. 4,* & non erit dignus, cui credamus quod



quod vinum in sanguinem transmutasset. Præstitit proinde Jesus Christus fidem eorum, quæ olim *Ioan. 6. v. 35.* discipulis suis sp̄oponderat, se ipsis carnem suam manducandam, & sanguinem bibendum præbiturum: non tamen quemadmodum Capharnaitæ intellexerant, modo crasso & rudi, non corpus cruentum & in frusta concisum, sed verum quidem corpus suum reale atque substantiale, Corpus tamen sub specie panis, sanguinem sub specie vini.

XLIII. Quinque igitur in Ss. Eucharistiae institutione adhibuit Christus actiones. 1. Enim accepit panem. 2. Gratias egit. 3. Benedixit. 4. Panem fregit. 5. Porrexit discipulis, & inter porrigendum dixit: *accipite & manducate: Hoc est corpus meum.* Quod si nunc sacrarum harum Christi actionum, verborumque seriem perpendamus debitè, eundem Patri suo cœlesti verum in corpore & sanguine suo obtulisse Sacrificium, elucescit quam clarissimè; proprium enim verumque Sacrificium, ex N. XVIII. aliud non est, quam *oblatio externa*, *qua res sensibilis per ministrum legitimum immutatur in protestationem supremi dominii Dei;* atqui in præsenti Christi actione fuit 1. *oblatio externa:* sicut enim Christus ea ratione sese in cruce obtulisse dicitur, quod Patri suo se dederit, illaque, ut eum placaret, ultiro vitæ suæ renuntiaverit, cruciatusque suos, ipsamque mortem ad opus sanctissimum, totius videlicet humani generis liberationem retulerit. Pari ratione Christus Jesus in illa suprema cœna corpus & sanguinem suum Deo Patri in sanctissimos dedicavit usus, quando illi gratias egit, sursumque levatis oculis panem benedixit & vinum, & in suum corpus ac sanguinem convertit, eaque sanctis destinavit usibus in spiritualem credentium alimoniam. Verum quidem est, Scriptura non refert, Christum expressis dixisse verbis: *offerō tibi Pater,* sicuti nos, quando offerimus, facimus, dicendo: *offerō;* ast minimè ad Sacrificium oblatio verbalis & in actu signato requiritur, sufficiens enim est oblatio re & in actu exercito posita; nec exigitur, quod sacrificans dicat: *Tibi offerō,* sicuti nec exprimebatur oblatio in Sacrificiis antiquis, ubi sufficiebat, quod Sacerdos victimam præsentem sisteret in altari, & in Dei cultum immolaret: hōc enim in actu exercito satis censebatur Deo oblata, sicuti hoc ipso, quod dapes apponantur mensæ, offeruntur convivis, licet Paterfamilias non dicat: *offerō eas vobis.* Hujusmodi autem oblatio in actu exercito reperitur absque dubio in positis Christi actionibus. II. Fuit in præsenti actione Christi oblatio talis, *qua res sensibilis immutata est.* Per hæc enim verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* Christus rem profanam fecit sacram; panis enim, substantia alioquin terrena, versus est in Christi corpus, & vinum, res alioquin profana, versum est in Christi sanguinem, res omnium sacratissimas. Ex hoc tamen inferre non licet: ergo panis solus sacrificatur; quod enim è profano fit sacrum, propriè sacrificatur; si ergo panis è re profana fit res sacra, panis propriè sacrificabitur. ¶. Enim, id verum est, quando ex profano quidquam fit sacrum, ita ut maneatur,

dum

dum sacratur; at panis non manet, dum sacratur, sed in aliud vertitur, ideoque non panis, sed id, in quod panis versus est, proprio sacrificatur, corpus scilicet & sanguis Christi. Licet enim panis & vinum ad hoc Sacrificium aliquo pertineant modo, non tamen res principaliter oblatæ sunt, sed tantum terminus a quo, seu materia transiens, ex qua corpus & sanguis Christi consecratur. Hostia enim & victima principalis est corpus & sanguis Domini, non ut in propria specie sunt, sed ut subsunt sub speciebus panis & vini. Sic vi verborum Christi aliud accipiunt esse accidentale, mysticeque immutantur, cum ponantur sub speciebus illis novo & quasi mortuo modo; etenim vi verborum super panem: *Hoc est corpus meum*, ponitur solum corpus Christi, non vero sanguis, qui per concomitantiam tantum adest, cum verum vivumque corpus absque sanguine esse nequeat. Vice versa vi verborum super calicem: *Hic est calix sanguinis mei*, solus ponitur sanguis, & per concomitantiam corpus, cum vivus sanguis absque corpore existere haud queat. Consecratio igitur est actio productiva victimæ, quatenus est physice & realiter convertens panem in corpus, & vinum in sanguinem Jesu Christi; est autem sacrificatio, quatenus est talis actio sacramentalis, separans vi verborum corpus a sanguine, ut a corpore effuso; etenim eo ipso, quod Christi sanguis exhibetur ut separatus a corpore, mystice mactatur & immolatur Christus. Ulterius corpus Christi per consecrationem accipit formam cibi, sanguis formam potus: cibus vero ad comedionem, sanguis ad bibitionem, & per hoc ad destructionem ordinantur, non quasi corpus Christi ullam in se pateretur laesionem, aut suum amitteret esse naturale, cum manducatur Eucharistia, sed quod suum tunc amittat esse sacramentale, quod vi consecrationis acceperat sub speciebus panis & vini, proindeque desinat tantum esse sacramentaliter, desinat esse cibus sensibilis, sensibilis scilicet ratione specierum, sub quibus existit. En catholicam verborum Christi expositionem, percipiamus & acatholicam.

XLIV. Calvinus, quique ipsi nomen dederunt, præeunte Zwinglio, Christum non hic sacrificasse; sed omnes hasce Christi actiones ad merum referri volunt panem, quem Christus signum tantummodo & figuram corporis sui esse voluerit, adeo, ut Christi verborum: *Hoc est corpus meum*, sensus sit: *Hoc, vel hic panis significat, estque figura corporis mei pro vobis cruci affixi.*

Verum contra expositionem hanc apertissima ipsa stant instituentis Christi verba; juxta regulas hermeneuticas vero spiritu confide at: omnem enim sensum hunc tropicum penitus excludunt materia & conditio personarum; Christus enim in verbis citatis sacramentum instituit, dogma fidei tradidit, legem perpetuo duraturam dedit, testamentum condidit: verba proinde ipsius in sensu proprio, non metaphorico, perspicuo, non obscuro, naturali &

cuivis obvio, non conforto accipientur necesse est; si enim unquam homines propriè loquantur & clare, maximè cum fœdus ineunt, cum leges ferunt, cum testamentum condunt, cum non exteriores, sed amicos, sed filios alloquuntur, eis animi sui sensa aperiunt clarissime. Leges & mandata à Christo unquam tradita verbis sunt concepta simplicissimis; fidei dogma in S. Scriptura explicitè continetur nullum verbis traditum figuratis ac metaphorice acceptis; aut si in tradendis fidei dogmatibus Christus & Apostoli usi sint unquam metaphoris, eae claræ sunt, earumque sensus cuivis obvius, ut *cum Ecclesia fundata & ædificata dicitur super petram.* Sanè, si metaphoras in sententiis scripturæ sacræ comminisci licet, ubi fidei nostræ dogmata præcipua traduntur, quomodo probabunt D. D. Adversarii ex his verbis: *Verbum erat Deus, Joan. 1. Ego & Pater unus sumus* Joan. 10. Christi divinitatem Sociniano? qui testimonia illa de Filii divinitate metaphorico sensu explicanda esse, non minori jure contendit, quam D. D. Adversarii, hæc verba Christi: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, de figura corporis & sanguinis interpretentur.* Pariter Testamenta verbis conduntur propriis & perspicuis, nec erit ullus, cui, si Pater aliusve testamento domum reliquerit, adimplerat erga se arbitretur testatoris voluntatem, cum tabella data ei fuerit domum repræsentans. Christum parabolice locutum multa, inficias non imus; ast hic sacramentum instituit, dogma fidei tradidit, testamentum condidit, & hinc ipsum figuratè locutum arbitrari nequimus. Nonne hoc esset testamentum umbraticum supponere pro reali & vero? Christus dixit: *quod vobis do, est corpus meum;* si figuram duntaxat corporis sui dare intendisset, cur æquivocatione, quæ plures in errorem induceret homines, usus fuisset? Cur mentem suam verbis non expressit simplicibus magisque apertis? Quibus verò verbis magis perspicuis, magisque aptis ad significandum, se veri propriique corporis sui substantiam tradere, uti potuissent, ac usus est, dicendo: *Hoc est corpus meum?* an ad hoc significandum opus erat, ut diceret: *Hoc est verè & propriè corpus meum?* minimè gentium. Sicut enim, cum Pater æternus Christum designando dixit: *Hic est Filius meus dilectus,* non dixit: *hic est verè & propriè Filius meus dilectus.* Pariter, cum Evangelista Verbi Incarnationem explicuit, non dixit: *Verbum verè & propriè caro factum est,* sed simpliciter: *Verbum caro factum est.* Jo. 1. Nihilominus D. D. Adversarii reetè nobiscum credunt, Christum esse verè & propriè Filium Dei, & Verbum verè & propriè incarnatum; ita quamvis Christus non dixerit accepto & benedicto pane: *Hoc est verè & propriè corpus meum,* sed simpliciter: *Hoc est corpus meum,* nihilominus verissimum manet, nobis Christi corpus verè & propriè, non verò figuram corporis Christi in Eucharistia dari.

XLV. Accedit trium Evangelistarum in iisdem Christi Eucharistiam instituentis verbis referendis summus consensus. Nullus eorum scribit, Christum dixisse:

se : *Hoc est figura corporis mei, Hic est figura sanguinis mei, sed : Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Incredibile autem est, eorum neminem hunc expressisse sensum, si Christus solam & nudam corporis & sanguinis sui figuram dare, idque solam a nobis credi voluisse. Solent Evangelistæ in minoribus causis ita sibi vicissim opitulari, ut vix quidquam ab uno eorum obscurè dictum legamus, quod non explicat aliis. Hic autem, cum quatuor auctores institutionem sacramenti hujus narraverint, diversis scriperint temporibus; alii audiverint a Christo, ut S. Mathæus; alii a Domino postea acceperint, ut S. Paulus; alii dicerint ab iis, qui viderant & audierant Christum sacramentum hoc instituentem, ut Marcus & Lucas, omnes tamen, iisdem verbis dixisse Christum : *Hoc est corpus meum commemorant, nemo explicavit, id per figuram dictum fuisse, nemo addidit ullum verbum, è quo Christum in verbis iis sensum intendisse figuratum, colligamus.* Imo S. Paulus de usu & fructu hujus sacramenti locutus est, ut non symbolum duntaxat & figuram, sed verum Christi corpus & sanguinem re ipsa præsentia agnoscisse facile intelligatur : *Calix inquit benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est, & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Non figuræ, non virtutis & efficaciam corporis & sanguinis Domini, sed corporis ipsius & sanguinis communicatio & participatio est, ait, subditque : *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, reos appellat Eucharistiam indignè sumentes, non figuræ corporis & sanguinis Domini, sed ipsius corporis & sanguinis Domini : ergo & indignè accipiunt corpus & sanguinem Domini, non verò solam eorum figuram, nisi quis dicere velit, Judeos agnum paschalem indignè sumentes, reos fuisse corporis & sanguinis Domini, eo quod agnus paschalis figura fuerit corporis Christi.* Nec D. D. Adversarii reos existimant peccati, qui ligna Christi ejusque imagines indignè tractant : ergo cum S. Paulus reos faciat corporis & sanguinis Domini, qui Eucharistiam indignè sumunt, in hac non merum signum, sed verum Christi corpus contineri & manducari judicavit; alias potius dicere debuisset : reus erit simulationis & fictionis, quam reus erit corporis & sanguinis Domini.

XLVI. Lutherus *Lib. de Captiv. Bab.* vult corpus Christi in Eucharistia præsens esse cum pane, sicut ignis est in ferro, vinum in dolio, & de ferro candente recte dicitur : *hic est ignis, quamvis ibi sit ferri substantia; & de dolio continentе vinum : hoc est vinum;* ita pariter dicit, licet in Eucharistia maneat panis substantia, vera tamen est enuntiatio Christi : *Hoc est corpus meum, sicuti hæc : Verbum caro factum est,* licet utraque salva maneat natura.

Verum, vel igitur hæc Christi verba : *Hoc est Corpus meum, hunc habent sensum : Hic panis est corpus meum per identitatem,* & tunc propositio falsa est,

Substantia enim panis essentialiter diversa est à substantia corporis Christi; vel habentne hunc sensum: *Hic panis exhibet corpus meum*; vel *in*, aut *sub hoc pane est corpus meum?* & nec hoc subsistit; ad hoc enim, ut propositio talis exhibitiva clara, & in usu communis vera sit, requiritur, ut id, quod immediate per particulam demonstrativam exhibetur alteri, vel ex natura sua, vel ex institutione, & usu in lingua populari recepto ad illud continendum vel exhibendum receptum sit, ut dolium *ad* continendum vinum, cortex nucem, crumena pecuniam. Quæ aurem consuetudo, quæ ars rhetorica de synecdoche docet, corpus designari per panem, cum panis nec ex sua natura, nec ex institutione & uero communis destinatus sit ad continendum corpus Christi? Sicuti igitur falsum, aut certè impropriè loqueretur, qui panem, in quo pecunia abscondita foret, in manu tenens diceret: *Hic panis est pecuna*, aut qui pro tempore Christi existentis in ute-
ro B. V. Mariæ hanc demonstrando dixisset: *Hoc est corpus Christi*; simili modo Christus male aut certè impropriè, & contra communem loquendi modum locutus fuisset, de pane dicendo: *Hoc est Corpus meum*, si per verba hæc nihil aliud, quam corpus suum sub pane latere, seque pane tanquam vehiculo uti, significare voluisset, quod à Christo factum præsumi nequit in iis præsertim circumstantiis, ubi vel maximè oporebat sermone proprio & non figurato, ut supra indicatum fuit, loqui. Ut ergo verba Christi maneant vera, credamus necesse est, quod Cy-
rillus Hierosoly. Catech. 4. docet: *Qui videretur panis, non est panis, etiamsi gu-
stui ita appareat, sed est corpus Christi; & quod videretur vinum, non est vinum,
etiamsi gustus velit, sed sanguis Christi.*

XLVII. Quod autem Eucharistia à Patribus quandoque vocetur *panis*, fit 1. ratione accidentium panis, quæ remanent, & sub quibus corpus Christi sensibus objicitur. 2. Ratione materiæ, quæ conversa est in corpus Christi; quo sensu virga Aaronis in serpentem conversa vocabatur adhuc virga Exod. 7.: *de-
voravit virga Aaronis virgas eorum*. Quod vero quandoque vocetur signum, figura, antitypum corporis & sanguinis Christi, fit, quia corpus Christi in Eu-
charistia signum, figura & antitypum est sui ipsius in cruce immolati, quia mor-
tis pro nobis appetitæ memoriam renovat, & se ipsum in cruce passum, per se ipsum in Sacramento obvelatum repræsentat. Eucharistia igitur signum & figu-
ra non inanis est & vacua, sed realiter continens corpus & sanguinem Christi, quorum primum repræsentat ut mortuum, alterum ut effusum. Unde *figura est, dum panis & vinum extra videntur, veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate creditur*. Ex Dist. 2. cap. 89. de consecr.

MOMENTUM II.

Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeb. Ps. 109. v. 4.
Lucu-

Luculentissimum verba hæc præbent Ss. Missæ sacrificio testimonium, quod ut
apparet eo evidentius, tres discutiemus quæstiones.

I.

Quis iste sit, qui hic vocatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

XLVIII. Christum esse, qui in præsenti Davidis loco, *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* vocatur, omnes unanimi voce docent Christiani. Quibus quoque concordant vetustissimi Rabbinorum. Rabbi Moyses Hadrassan exponens verba illa Gen. 4. de Melchisedech ita scribit: præfiguravit Melchisedech mysterium sacerdotii istius; erat enim ipse sacrificans Deo sancto & benedicto panem & vinum, ut scriptura testis est: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Quis est iste sacerdos, nimirum, de quo scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* & quis tandem hic est? videlicet justus & Salvator Rex Messias. Rabbi Pinhas filius Fair ait: tempore Messiae omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini nunquam cessabit, sicut dictum est, quia Melchisedech Rex Salem exceptit panem & vinum. Melchisedech, id est: Rex Messias, dicitur autem Melchi, id est: Rex, quod sit Rex totius mundi; Sedeck, id est: justitiae, siquidem justitiam ille suam & gratiam mittet super universum orbem. Rex Salem, id est: supernæ Jerusalem. Panem & vinum exceptit, id est: separabit à cœlestione omnium sacrificiorum sacrificium panis & vini juxta Davidis vaticinium: *Tu es sacerdos in æternum.* Totum hunc Psalmum 109. S. Paulus quoque unicè Christo attribuit Heb. 13. dicens: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando Deus: sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Imo Christus ipsem locum hunc de semetipso exposuit, cum Math. 22. interrogaret Phariseos: *Quid vobis videatur de Christo, cuius filius est?* Dicunt ei David. Reposuit Dominus: quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum suum dicens: *dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis;* si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Judæi, licet elicentes effecti, negare tamen ausi non sunt, hunc psalmum de Christo intelligendum esse. Quod argumentum certò est palmarium, totam synagogam per illum, qui à Davide hic dicitur *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, intellexisse non alium, quam Messiam.

II.

Quis Melchisedech in se fuerit, qualeque ejus sacrificium.

XLIX. Quis Melchisedech ipse fuerit, spatum se non offert nobis, eorum à capire ad calcem commemorandi deliramenta, qui Melchisedechum virtutem fuisse aliquam cœlestem Christo superiorem, aut ipsum Spiritum S., aut

filium Dei, aut Angelum humana spectabilem specie, aut hominem quidem, sed ab Enocho, aut Chamo, vel Semo filiis Noe non diversum. Hæc omnia missa facimus, fuisseque Melchisedechum verum hominem, genere quidem Chananeum, divina tamen gratia veri Dei cultorem pro certo & abunde Ss. P. P. authoritate solidisque rationibus probato & explorato habemus. Magis peculiarem tamen Melchisedechi notitiam ut comparemus, in unum colligenda sunt lineamenta, quibus illum Moyses & Paulus depingunt. Et primo quidem uterque Melchisedechum *Regem Salem*, id est Jerusalem appellat. Secundo ab Apostolo dicitur: *Sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*; non quasi progenitores habuisset nullos, sed quia parentum ipsius nomina; ortum & mortem ipsius scriptura silentio prætermisit. Tertio: Moyses & Paulus Melchisedechum vocant sacerdotem Dei altissimi, erat enim sacerdos Dei altissimi Gen. 14. *Hic enim Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei summi.* Heb. 7. Quæ loca Melchisedechum non solum Regem, sed & sacrorum Ministrum fuisse aperte demonstrant. Fatendum quidem est, hebraicam vocem: *Cohen*, qua Moyses loco citato usus est, & noster interpres vertit *Sacerdos*, non ubique in sacrificiis ministerium ecclesiasticum, sed quandoque universim, seu in genere insignis alicujus honoris, aut dignitatis gradum denotare, uti filii David, quos sacerdotes non fuisse manifestum est, 2. Reg. 8. vocantur *Cobanim*. Nihilominus ly *Cohen* in sua significatione propria semper significat sacerdotem, abusivè autem raro & impropiè principem; propriè enim *Cohen* venit à *Kibeh*, sacerdotio functus, ideoque hic omnes versiones vertunt *Sacerdos*, nempe Græca, Samaritana, Arabica & Lutherus ipse. Et qua de causa hac voce *Cohen* uteretur hic Moyses ad exaggerandam principalem Melchisedechi dignitatem, si non fuisse propriè sacerdos? vocando enim ipsum *Regem*, abunde dixerat *principem*. Et quo jure Paulus Hebr. 7. dixisset: *Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei summi*, si sacerdos non fuisse Melchisedech?

L. Cum igitur Melchisedech sacerdos fuerit, sacerdos autem & omnis Pontifex juxta Apostolum, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; [confectorium evidens est, ipsum quoque sacrificasse. Sed quid, & ubi sacrificavit? Hoc paucis quidem, attamen claris Moyses docet verbis Gen. 14, v. 18. & 19. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei, Abrahamo.* Quod autem hæc panis & vini prolatio, oblatio non profana ad meram refocillationem Abraham facta, sed sacerdotalis fuerit, indicatur per appositam verbis illis causalem: *erat enim sacerdos Dei altissimi*, quibus conformiter verbis protulit Melchisedech panem & vinum ideo, quia *erat* sacerdos Dei altissimi; à sacrificio enim, præcipua sacerdotalis officii functione vocatur & agnoscitur quis sacerdos. Et nî prolatio hæc sacerdotalis fuerit, cur ad eam expressa

sacer-

sacerdotis Dei fit mentio? Melchisedech igitur quā sacerdos panem & vinum protrulit, aliā non, quam sacrificandi causā. Et si Melchisedech isthac non sacrificaverit loco, ne minimum ullibi de ritu & ordine, quo suis in sacrificiis usus fuerit Melchisedech, in tota reperietur scriptura; consequenter & prorsus latebit, quo modo & ordine Christus debeat sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech dici, cum tamen David eum vocet sacerdotem non simpliciter secundum Melchisedech, sed secundum ordinem Melchisedech; prætereaque ordo hic in S. Scriptura expressus sit necesse erit, ne ulli de articulo fidei tam gravi, quale sacerdotium Christi est, errandi præbeatur occasio.

L I. Omnes quoque ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Patres & scriprores, quotquot Melchisedechi & sacerdotii ejus meminere, illudque cum sacerdorio Christi ut figuram cum veritate comparavere, prolationem panis & vini à Melchisedecho factam, cum Abraham victori occurrit, velut actionem sacram & sacrificium unanimiter & constanter agnoverunt, assieveraruntque. Imo seculo I. Philo Judæus, qui inter scriptores ecclesiasticos loco donatur à S. Hieronymo, *Lib. de Abraham* expresse testatur, *Melchisedechum sacra fecisse victorie ergo*. Clemens Alexandrinus L. 4. Stromat. habet. *Melchisedech Rex salem, sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistie*; ubi attendant D. D. Adv., qui hunc locum pro se citare solent, panem nec profanum in refectionem ventris, ut ipsi volunt, sed sanctificatum, id est: Deo antea oblatum, eoque modo sanctificatum, datum esse à Melchisedecho. S. Cyprianus seculo III. L. 2. Epist. 3. ad Cecilium scribit: *Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit*. Pluribus P. P. testimonii adducendis superfedeo; afferant enim D. D. Adv. è Ss. P. P. etiam unum, qui expresse neget, Melchisedechum hic sacrificasse; profectò nullum eorum nominare valebunt.

L II. Nihilominis D. D. Adv. respondere conantur I. Tametsi Melchisedechum Dei sacerdorem fuisse certissimum foret, continuo tamen ex his verbis Moyesis: *proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei,* consequens non fieret, ut panem & vinum Deo in gratiarum actionem de relata ab Abraham victoria sacrificaverit; quia hebraicum verbum *Hotzi*, quod Moses adhibet, & vulgata vertit: *proferens, non significat illic: sacrificavit, obtulit, sed protulit, eduxit, deponens, venire, aut prodere fecit, quae verba actionem significant profanam, scilicet Melchisedechum procurasse, suisque mandasse, ut panis & vini copia, non, quo sacrificaretur, sed quo reficerentur Abrahæ milites, ad locum occursus adducerentur*. Denique verbum *Hotzi* non nisi absurdissime de sacrificandi actione accipi in aliis scripturæ locis: ergo etiam hic.

R. Varia apud Hebreos sunt quidem sacrificandi & offerendi verba, quorum

rum alia notionem illam habent primario & directe, alia secundario dūntaxat, & deductivē. Primae classis est verbum *Zabhab*, sacrificavit, immolavit, mac-tavit sacrificii vel convivii causa. Alia secundario & deductivē offerendi notionem habent, ut *He-bbi*, venire fecit, adduxit, intulit, attulit ad offerendi notionem transfertur. *Gen. 4. v. 3.* Sic *Hi-ggisch*, accedere fecit, admovit, st̄it pro verbo offerendi est. *Exod. 32. v. 6.* Usitatissimum in eadem significatione est *Hi-Kribb* appropinquare fecit, admovit. Sic quoque *Hotzi* à verbo *Zatza exiuit*, *prodit*, *processit*, descendit, significatque conformiter exire & prodire fecit, protulit, produxit. Certum igitur est, æquali proportione in hoc loco offerendi & sacrificandi notionem competere posse verbo *Hotzi*, quam verbis *He-bbi* ac *Hi-ggisch* in loc. cit. Et quemadmodum ex iis, quæ antecedunt & sequuntur verba *He-bbi* & *Hi-ggisch*, licet ordinarie generalioris sint significationis, ad specialem & minus nativam offerendi notionem in cit. loc. de-flectuntur, sic etiam iisdem è rationibus recte in textu substrato ad eandem de-flectitur verbum *Hotzi*. Tenet sequela generatim ex natura rei pro omnibus verbis id genus vestitis circumstantiis, etiamsi semel dūntaxat in similibus occur-rerent. Quid enim, si id valeant circumstantiæ in locis pluribus, cur neque in uno? Mirum quoque non est, Moysen hic, alibi inusitato usum fuisse sacrificandi aut offerendi verbo, cum inusitatum fuerit sacrificium. Imo licet con-staret, ly *Hotzi* nullo unquam tempore apud Judæos de sacra, sed semper de profana acceptum fuisse prolatione; adhuc nihilominus ob patentes & adeo ur-gentes circumstantias dicendum esset, hic consecutive agi de prolatione & obla-tione sacra, ac verbum istud esse de prægnantium numero, ut vocant Gramma-tici, seu aliud istam significans includere: tandem consequentia absurdissima est: verbum *Hotzi* nonnisi absurdissime de sacrificandi actione in aliis S. Scripturæ locis accipitur: ergo etiam hic. En ratiocinium simile: verba *He-bbi*, *Hi-ggisch*, *Hi-Kribb*, nonnisi absurde in pluribus aliis ita accipiuntur locis: Ergo nec tali in locis supradictis gaudent notione. Quod autem interpres noster ver-bum *Hotzi* non per verbum offerendi, sed per verbum aliud generalius *profe-vens* reddiderit, ipsorum consuetudini indulgendum est, dum in erim nihil aliud significare intendunt, quam quod pro loci circumstantiis hebræum exigit.

LIII. Dicunt II. pro particula causali: *enim*, quæ in vulgata nostra legi-tur: *erat enim sacerdos*, in hebræo legi: *Vatī*, quæ per particulam *et*, *vel*, autem subinde recte verritur: unde ipsis judicibus verborum Moysis alias non est sensus, quam Melchisedechum, qui Rex & sacerdos erat, escuenta quædam & poculenta protulisse, aut potius proferri jussisse, quibus Abrahamum ejus-demque milites de prælio parta victoria redeuntes basilicè recrearet juxta mo-rem antiquum exeundi redeuntibus è bello parta victoria obvium cum pane & vino ad refocillandos eos; ubi tamen per *panem* *et* *vinum* more loquendi apud hebræos

hebreos consueto omnia & varia per synecdochen denotari solent esculenta
& poculenta.

R. Rogo, meminerint D. D. Adv. particulam *vaf*, & praeter officium copulandi etiam sapientis causarum aliarumque vicariam esse particularum. Constat hoc in multis locis. Exempla sunt obvia. Inter alia Gen. 20. sic legimus: *En morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum; ubi hebrei legunt: & ipsa juncta est marito:* ubi & possum est pro particula causal: quia. Imo adeo latè particula hæc significationum diffunditur varietate, ut proteus à nonnullis appelleretur. Et licet saepe tantum connectat, certo tamen significat causalem quia, cum per eam ratio prioris datur sensus. Diffinienda ergo ejus significatio potissimum est per circumstantias; at si in ullo loco per circumstantias ad causalem determinetur, hic ipse profecto est, quem præ manibus habemus; in eo enim, quem præ manibus habemus, loco per ly *vaf* & causa datur sensus prioris, scilicet causa, cur prorulerit Melchisedech panem & vinum, fuit: quia erat sacerdos Dei altissimi. Protulit igitur Melchisedechus panem & vinum primario non ad refocillandos Abrahæ milites, sed ad sacrificandum Deo in gratiarum actionem, pro concessa à Deo Abrahamo victoria. Partem igitur panis in honorem divinum cremavit, partem vini ex dicta effudit ratione; reliquam vero partem Abrahæ & sociis ejus porrexit contumendam. Quod addunt D. D. Adv. de veterum more, utique & ipsi scient, veterum fuisse consuetudinem, non tantum simpliciter reficere revertentes de prælio, sed & pro parte victoria sacras instruere epulas, ut *Herodotus lib. 8.* narrat, obruncato à militibus Maxentio, nullam fuisse ætatem, quæ non ad aras & templa festinaret. *Judicum Cap. 16, v. 23.* cernimus Philistinorum principes capto Samsone convenisse in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur dicentes: tradidit Deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. Idem, quanquam cultu dispari ob reportatam à Juditha victoriam egisse Judæos *Judith. Cap. 16, v. 22.* refertur. Et vero sic Domini esse bellum, eumque victoriæ largitorem agnoscet antiquitas; agnoscet idem Melchisedech: *Benedictus, inquiens, Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt O Abraham!* cur igitur & pari cultu eidem hostias consecrare ambigamus? Quod D. D. Adv. hic addunt, in praesenti textu per panem & vinum quævis per synecdochen intelligi esculenta, figuramentum est. Ostendant enim è S. Scriptura, quod Melchisedech praeter panem & vinum alia quoque protulerit esculenta. Damus, panis & vini nomine per synecdochen hinc inde omnia venire esculenta; usitatius tamen est, ut phrasis ista potius pro pane & vino solis sumatur, quam pro quibusvis cibis aliis. Sic Deutero: 29. Deus ait Israëlitis: *per quadraginta annos panem non comedistis, vinum non bibistis,* num Israëlitæ proinde toridem annis omnibus caruere esculentis & poculentis? In sensu, quem D. D. Adv. volunt, usum fre-

quentiorem obtinet phrasis : *panis & aqua*, quæ verba non tantum pro cibo, sed & sœpius pro cibo & potu totoque humano sunt victu. Et quamvis hæc etiam in tali notione usitatoria sint, nulla tamen urgente necessitate similia passim ita accipere, recta interpretandi prohibet regula. A fortiori igitur hic loci inter propriæ acceptioñis terminos consistendum est, cum, quod ad impropriam hanc compellat notionem, reperiatur nihil.

LIV. Dicunt III. Dato etiam ly *enim* in citato textu causaliter sumi, nihilominus tamen non referrur ad verbum præcedens : *proferens*, sed ad subsequens : *benedixit*. Pariter ly : *sacerdos* indifferenter respicere potest to *protulit*, & to *benedixit* : respici autem potius to *benedixit*, quam to *proferens* in aprico statuitur vel ex eo, quod Paulus ad *Hebr.* omnes Melchisedechi actiones recensens, ne verbum de hac panis & vini prolatione, minùs de actione aliqua sacrificativa habeat; tacuisse autem hanc prolationem Paulus, si in ea agnovisset sacrificium?

R. Optimè Bellarminus reflectit in hebræo post illa verba : *& ipse erat sacerdos Dei altissimi*, esse accentum, quem soph pasouk appellant, estque idem, ac apud latinos magnum punctum. Idem habetur in versione Chaldaica & Græca. Hujus accentū munus est absolvere sententiam, quemadmodum apud nos punctum : ea igitur verba : *& erat sacerdos &c.* ad sequens : *& benedixit ei non spe-
stant.* Ad id, quo Apostoli urgent silentium D. D. Adv., pariter rationem præstolamur ab ipsis, cur Apostolus prolationem illam qualecumque demum, cum certò ad laudem & commendationem Melchisedechi pertineat, sicco transierit pede? procul dubio respondebunt: quia sacra haud erat, nec ad ipsius pertinebat sacerdotium. Verum, num sacrum Melchisedechi nomen? num ad ejusdem sacerdotium facit, quod interpretur *Rex justitiae*, & *Rex pacis*? quod obviaverit Abrahamo? Inde tamen & encomia texit Apostolus. Majus profecto est agere magna, quam magni nominis insigniri colore. Cum igitur Paulus meminerit ex Moysi, quod Melchisedechus obviaverit Abrahamo, cur otiam non adjunxit alia Moysis de Melchisedecho verba, scilicet, quod *protulerit panem & vinum ad Abrahamum & milites ejus reficiendos*? Id sane simplici occursu majus erat & laudabilius. Edicant igitur D. D. Adv. si possint, cur Paulus prolationem, etsi mera prosana fuisset, tacuerit? Nunc responderemus directè: Paulus illam reticuit prolationem, quia ea ad institutum & intentum Pauli ibi conducebar nullatenus; scopus enim Pauli in dicta epistola erat sacerdotium Christi extollere supra sacerdotium Leviticum; porro ad hoc probandum assumere non poterat oblationem panis & vini à Melchisedecho factam, tum, quia res oblata non erat praestantior in se, sed vilior potius, quam Leviticorum materia sacrificiorum, in animalibus consistens vivis; tum, quia etiam sacerdotes Levitici quandoque offerebant panem & vinum

vinum tanquam secundariam sui sacrificii materiam, ut patet in iugi sacrificio Num. 28. Unde analogia ex oblatō pane & vino desumpta potius favisset Hebræis, qui ex majore oblatæ materiæ dignitate in sacrificio levitico, majorem quoque sacerdotii levitici dignitatem conclusissent, adeoque mirum haud est, quod nullam de oblatō pane & vino expressam fecerit Paulus mentionem.

III.

In quo Christus sacerdos dicatur, & ubi sacrificaverit secundum ordinem Melchisedech.

LV. Non simpliciter vocatur Christus à Davide *Sacerdos*, sed cum addito: *Secundum ordinem*, non Aaronis, sed *Melchisedech*. Alius igitur ordo in sacerdotio Aaronis, aliis in Melchisedechi sacerdotio esse debebat. In quo demum sacerdotalis Melchisedechi ordo consistebat? I. Certò non in eo, quod Rex simul fuerat & sacerdos; Regem namque esse sacerdoti quā tali extrinsecum est. Et si ordinem hunc attendisset David, cum totus sit in deprædicando Messiae regno, magis appositè dixisset: *Tu es Rex in æternū secundum ordinem Melchisedech*; id est: Tu es Rex & sacerdos simul Melchisedechi adinstar. Imo valde impropriè David vocasset Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech alludendo tantummodo ad dictarum conjunctionem dignitatum. Et si a regali dignitate Christum sacerdotem esse commendet David, cur igitur ab eadem dignitate sacerdotium Christi non extollit Paulus versum istum *m. cit. epist. fæpius repetens?*

Nec II. sacerdotalis Melchisedechi ordo situs fuit in benedictione Abrahæ data: quod enim Melchisedech benixerit; ipsius sacerdotio non soli proprium, sed & commune sacerdotio est Levitico, cum Aaronem & filios ejus fæpius & toti populo benedixisse legamus. Imo si hic ad benedictionem comparatio esset, ea potius ad Aaronicam, quam Melchisedechianam fuisset instituta; major enim reperitur inter Aaronicam benedictionem & benedictionem Christi, utope, qui non unius tantum, ut Melchisedech, sed toti, ut Aaron benedixit populo, analogia. Denique nec specialiter munera sacerdotalis solius est benedicere; benedicebant enim parentes liberis, domui suæ patres-familias, atque omnium solemnissimè toti Salomon populo 3. Reg. 8.: ac Paulus recensens ea, quæ sacerdotis sunt, dicit: *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur*: Heb. 8., ubi nequidem benedictionum meminit. Constat quidem sacerdotum lene licitiones per se loquendo meliores fuisse & efficaciores benedictionibus aliorum; verum consequenti duntaxat, cum enim ex officio pro hominibus constituti essent

essent in iis, quae sunt ad Deum, plus etiam aliquid apud eum pias eorum pre-
cationes ordinariè valuisse, omnino consequitur.

Nec III. Sacerdotalem Melchisedechi ordinem constituere possunt praedi-
cata allegorica & typica, quibus Melchisedech ordinatur à Paulo *Hebr.* 7. scili-
cket, quod non legatur sensibili unctus oleo, nec ipse alteri, nec alter ipsi suc-
cessisse; quod ejus non legatur genealogia, indeque sit typus æterni Christi sa-
cerdotii. Præterquam enim, quod illa omnia sacerdotio extrinseca sint, & non
soli propria Melchisedecho, sed & communia aliis, ut Abeli, qui sacerdos fuit,
quin legatur unctus; Jobo, Eliæ, qui sacerdotes fuerunt, quia eorum quoque
genealogia legatur in scriptura; ab iis Christus sacerdos secundum ordinem
Melchisedech dici nequit: illa quidem omnia significant Christum fuisse præfigu-
ratum in Melchisedecho, sed non demonstrant, esse sacerdotem secundum or-
dinem Melchisedech; alia quippe est ratio figuræ, alia ritus, & ordinis sacrificii.
Ad rationem figuræ sufficit, quod figura præcesserit, ad ritum requiritur sacri-
ficii rei oblatae similitudo. Hinc Abel, Isaac & Moyses Christi fuere figuræ,
dici tamen haud potest Christus sacerdos secundum ordinem Abelis, Isaac aut
Moysis.

LVI. Restat ergo, ut ordo sacerdotalis Melchisedechi, secundum quem
dicitur Christus sacerdos in æternum, à materia, sive re oblata, & in sacrifici-
um impensa, à prolatione scilicet panis petatur & vini; ita enim aperte diver-
sum & distinctum à levitico sacerdotio ordinem in Melchisedecho intuebimur,
diversum inquam materia sacrificii. In hac igitur Melchisedechiani ordinis ratio
plenè absolvitur, quod præcipuum ejus munus, quo Deo sacrificabat, panis
fuerit & vinum; quorum loco sacerdotes Aaronici litabant principaliter anima-
lia. Nec aliter hunc Melchisedechiani sacerdotii ordinem interpretati sunt Pa-
tres. Quanquam enim eorum aliqui hoc simul advocarint quædam sacerdotio
planè extrinseca, in panis tamen & vini prolatione tanquam essentiali ejusdem
ordinis constitutivo sine hæsitatione consentiunt. Sæculo III. S. Cyprianus epist.
53. ad Coecilium scribit: *Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens & inde
descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum
obtulit, quod Abraham benedixit: nam quis magis sacerdos Dei summi, quam
Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & hoc idem,
quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum suum scilicet corpus & san-
guinem.* Docet ergo S. Pater, quod Christus eodem, quo antea Melchisede-
chus, ritu incruento sub speciebus panis & vini obtulerit sacrificium.

LVII. Si igitur Christus in hocce ritu sacerdos fuerit secundum ordi-
nem Melchisedech, & omnis sacerdos ad hostias & munera offerenda constitu-

tur, sequela erit plana, divinum hunc nostrum sacerdotem aliquando saltem sacrificasse, ac in oblatione sacrificii sui eundem, quem tenuit Melchisedech, observasse ritum & morem; proindeque, cum oblatio panis & vini, incruenti scilicet puri simplicisque sacrificii propria fuerit Melchisedechi oblationis, Christus secundum ordinem hunc sacerdos in æternum hoc profecto fuisse est sacerdotio; quatenus pridie, quam pateretur, in ultima sua cœna panis & vini substantias in suum transmutavit verum corpus verumque sanguinem, eaque sub eorundem speciebus Deo Patri in verum litavit sacrificium, ut eo modo veritatem, cuius typum exhibuerat Melchisedechus, impleret. Si vero Christus suo officio sacerdotali secundum ordinem Melchisedech fuisse non fuerit isthoc loci, ostendant ergo D. D. Adv. ullum in S. Scriptura locum, ubi id praestiterit Christus. In cruce erat quidem salvator noster secundum Melchisedechi nomen *Rex justitiae*, cum pro nobis satisfecerit, ideoque quoque erat *Rex Salem*, id est *pacis*, dum morte sua pacem restituerit Deum inter & homines; ast ibi non erat sacerdos sacrificando secundum ordinem Melchisedech, cum crucis sacrificium non fuerit sacrificii Melchisedechiani adinstar incruentum, sed potius sacrificiorum adinstar Aaronicorum cruentum.

§. VI.

*Christus sacrificium isthoc incruentum, quod in ultima instituit cœna, immolari quoque & fieri ab Apostolis præcepit.**

MOMENTUM I.

Ex verbis Christi: Hoc facite in meam commemorationem.

LVIII. * Sacrificium, quod Dominus Jesus transiturus ex hoc mundo ad Patrem, pridie mortis sue sub speciebus panis & vini ad maximum animarum nostrarum solatium, & profectum in ultima obtulit cœna, sacrificium non unitus diei esse votavit, sed potius æternum esse decrevit, ac sponsæ suæ Ecclesiae usque ad finem saeculi in suæ benedictæ memoriam passionis celebrandum & recolendum præcepit, ordinavitque, ut Apostoli corpus & sanguinem ejus in missa ad ipsius offerrent exemplum. Aperiissimis hoc I attestatur verbis S. Lucas Cap. 22. scribens: *accepto pane gratias egit, fregit & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* E quibus elucescit verbis, quod jubeantur hic Apostoli aliquid facere. Quid autem facere jubentur? Idipsum certò, quod hocce loci fecit Christus. Quid igitur Christus imprimæstiarum fecit? uti §. præcedenti demonstratum ivit, transubstantiavit panem in verum suum corpus, vinumque in verum suum sanguinem, eaque suis ad man-

ducendum & bibendum distribuit discipulis; per consequens verborum Christi: *hoc facite in meam commemorationem* ad Christi impræsentiarum factum debitè comparatorum sensus hic est: quod ego jam feci, facite & vos, nimis: consecrate, offerte in sacrificium, sumite, distribuite verum corpus sanguinemque meum sub speciebus panis & vini, ut ego consecravi, obtuli, distribui, & *hoc facite in meam commemorationem*, ut initauretis memoriam ejus, quod hodie facio vobis meum corpus tribuens, & quod crastina die facturus sum, vitam & sanguinem meum pro vobis effundens, ea facite, quæ me hodie facientem videtis, sumite panem, frangite illum & dicite: *Hoc est corpus meum, & panis verè & realiter corpus meum fiet, corpus meum, quale est in manibus meis.* Paulus dicit: *quotiescumque manducabis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis: id est, tum verbo, tum factis & rebus repræsentabitis, & in memoriam revocabitis, tum vobis, tum toti populo mortem Domini, donec veniat ipse Dominus ad judicium.*

LIX. Nos igitur in sacrificio Missæ non imitamus quidem id, quod Christus in cruce, sed quod in ultima fecit cœna, ubi præbuit nobis carnem eandem, sanguinem eundem, quem in cruce obtulit; tamen sacrificium Missæ grata quædam est commemoratio immensi illius beneficii, quo Dei filius homo factus corpus suum ex virginе assumptum pro nobis in mortem tradidit, sanguinemque suum fudit in cruce, ut mundum liberaret universum a peccato damnationeque æterna. Hinc S. Augustin: lib. 20. cap. 2. contra Faustum ait: *Hujus sacrificii cruenti in cruce caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebat, post ascensum Christi per sacramentum memoria celebratur: quod ergo per figuræ sunt significatum & naturæ & legis tempore, hoc in cruce redditum, & nunc in altari repræsentatur, ut jugis tanti beneficii sit memoria: sacrificia prisorum figura tantum fuerunt & adumbratio quædam: in cruce verè fuit in mortem obligata pro nobis victima nostra Dominus noster Jesus Christus, qui posteaquam in cœlum ascendit, nihil nunc aliud sit in Ecclesia, quam illius oblationis, quæ in cruce facta est, memoria quædam & repræsentatio. Est igitur sacrificium hocce incruentum Missæ in se & quoad rem oblatam idem cum sacrificio cruento, ita tamen, ut utrumque eodem non fiat modo: in cruce oblatus est Christus modo cruento; in alio offertur modo incruento: ibi visibilis & in sua specie oblatus; hic offertur invisibilis & sub panis & vini speciebus: ibi oblatus credentibus omnibus remissionem peccatorum, & plenam obtinuit redemptionem; hic non, ut remissionem peccatorum & animarum salutem jam primum ex eo, quod per sacerdotem fit, promereamur, sed ut pridem promeritam per Christum in cruce pendentem, per hoc sacrificium, quod passionem & mortem ejus repræsentat, ac memoriam ejus refricat, fide & devotione nobis applicemus.*

Quamobrem incruentum isthoc sacrificium non modo non derogat aliquid sacrificio, quod in cruce peractum est, verum & magis illud illustrat. Neque etiam alio, quam ad unicum illud confugimus, quo defunctus est in cruce Pontifex noster Christus, in quo corpus suum tradidit in mortem, per quam nos, qui inimici eramus, Deo Patri suo reconciliavit. Renovamus proinde per sacrificium missae profusi sanguinis illius & corporis pro nobis traditi memoriam, ac quam ille obtulit in cruce hostiam, eam Patri sissimus, supplices orantes, ut illius contemplatione placatus & propitius, suæque promissionis, ac fructus illius, quem ille mundo attrulit universo, nos participes esse velit. Nec minimum hic fundamenti trita illa & toties decantata D. D. Adv. cantilena habet: oblatus est semel Christus ad exhaurienda peccata nostra, una oblatione consummavit sanctificatos in æternum, & hæc oblatio sufficiens est ad pretium redemptionis nostræ; non igitur ulla deinceps oblatio in Ecclesia facienda; hoc enim de promissis Christi foret dubitare. R. enim: si ita sit, ergo nec baptismo, nec alio quocunque sacramento aut opere opus erit hominibus. Cur igitur Christus sciens utique, se remissionem omnium totius mundi peccatorum per suum crucis sacrificium attulisse, post obtentam illam suæ mortis beneficio remissionem cunctos orare docuit: *dimitte nobis debita nostra*, quorsum tunc hæc oratio? Pariter per oblatum istud in ara crucis saerificium mundum Deo esse reconciliatum, utique non ignorabat Paulus, cur tamen Cor. 2. clamat: *obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*. An Paulus parum illi in cruce factæ reconciliationi fidebat? fidebat certò plurimum, sicut & nos omnem fiduciam nostram non in alia re, quam in unica illa collocamus oblatione, per quam Christus Deo reconciliavit mundum. Cœterum sciebat Paulus, adferri aliquid à nobis oportere, quo fructum illius possemus consequi reconciliationis; adeoque licet Christus in cruce nobis remissionem omnium nostrorum attulerit peccatorum, licet pro nobis oraverit, oratioque ejus ad obtinenda omnia ad salutem necessaria nobis plusquam sufficiens fuerit, licet pro nobis crucem tulerit, ex Dei tamen ordinatione mandatoque ad applicandum nobis prædictorum fructum, baptismum suscipere, orare & crucem suam ferre tenerur quilibet: sic pariter ordinavit iussitque Christus, ut illo uteremur incuento suo sacrificio, quo illius in cruce peracti cruenti sacrificii & fusi pro nobis pretiosi sanguinis fructum in nos transferreremus, applicaremus & appropriaremus.

LX. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hebræorum idioma habet, ut facere pro sacrificare aut offerre ponatur. Sic Exod. 29. legitur: *Hoc est, quod facies in altari agnos anniculos duos per singulos dies jugiter: Lev. 15. Die autem octavo sumet duos turtures aut duos pueros columbae, dabitque eos sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum. Lev. 23. Facietis & circumspicit pro peccato.* Idem legitur 3. Reg. 18. de Elia. In quibus locis, ut ex circumstantiis patet, apertum est verbum facere sumi pro sacrificare: ergo, cum hic

hic ex circumstantiis quoque planum sit, Christum hic sacrificasse, apertum quoque est, ipsum per ly facite nihil aliud intellexisse, quam sacrificare, sicut ipse sacrificaverat; imo sat manifestè pater, Christum uendo hic expressione illa: *Hoc facite*, mandatum quoque expressissime, ut ea, quæ ipse fecerat, Apostoli quoque ficerent; præcipue cum Salvator noster sojitus sœpe fuerit, & ante, & post passionem suam tradere potestatem faciendi aliquid per verbum imperativi modi, quo jubebat actum, ad quem potestatem dabat. Sic Math. X. dixit Christus duodecim discipulis: *Infirmos curate, mortuos suscitare. dæmones ejicite.* Et mirum, quod, cum Evangelista dicat, Salvatorem discipulis suis potestatem dedisse ejiciendi dæmones, nullum adferat Domini verbum, quo dictam illis tribuisset potestatem, nisi haec allegata, quibus actus illos per verbum imperativi modi imperat eis. Eodem modo potest resurrectionem suam Dominus non dixit Petro: *Ego do tibi potestatem pascendi oves meas*, sed dixit: *Pasce oves meas* Joan. 21. Ubi verbum illud imperativi modi *pasce* non solum imperativum operis, sed & potestatis, qua pascere posset, collativum fuit. Pariformiter & Christum Apostolis hic per verbum imperativi modi *facite* illius, quod facere jubebantur & faciendi potestatem tribuisse in aprico politum est.

MOMENTUM II.

Ex æterno Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedech.

LXI. Non: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, sed: *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, cantat de Christo Regius Psalmes. Ubi Propheta hic circumspetè posuit pro nostro: *in æternum latine, hebraice Leolam*, & non *Lanetzach*, aut *ad-netzach*, quæ duo posteriora verba communiter propriam & infinitam denotare solent æternitatem; illud autem *Leolam* solitariè, & sine verbo positum adjecto, aut nisi aliud exigat contextus, denotat longum quidem & indeterminatum temporis spatium, statim tamen finiendum tempore, quod æternitas vocari solet *finita*. Sic testamentum vetus ejusque sacrificia sœpius, ut *Deuteronom. 29.* usque in sempiternum *Leolam* prædicuntur duratura; & tamen nonnulli ad tempus longum à Deo usque ad adventum Messiae determinatum durarunt, durareque debuerunt. Gen. cap. 17. ¶ 13. circumcisio ponitur in *Li-bbritolam* fœdus æternum, & tamen nonnulli ad tempus duravit longum, determinatum à Deo. Unde ly *Olam* denotat ex se æternitatem non infinitam, sed tempus solummodo longum, & substrato in textu ad extremum mundi usque duraturum, prout id explicat Paulus 1. Cor. XI. ¶ 26.: *Quotiescumque enim manducabis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat ipse Dominus ad judicium extremum.*

LXII.

LXII. Nunc, ut ad scopum perveniamus intentum: vocatur igitur Christus à Davide sacerdos in æternum *Leolam* per æternitatem finitam, ad finem scilicet mundi usque; non autem in æternum *Lanetzach* per æternitatem infinitam; per consequens denominatio hæc sacerdotis in æternum finite desumi in Christo debet à sacerdotio finem semel habituro; si enim desumeretur denominatio hæc à Christi persona, quæ semel tantum in ara crucis sacrificavit cruentè, sacrificiumque hoc suum in omnem æternitatem infinitam sine mutatione nova continuo repræsentat Deo, tunc posset & deberet Christus vocari sacerdos *Leolam* *vaed*, *la nezaib* per æternitatem immensam, cum persona ejus, quæ semel cruentè sacrificavit, per infinitam durer æternitatem. Ast sacerdos *Leolam* per longum tantummodo tempus à persona sua, quæ perpetuo vivit, vocari haud posset. Pari modo, si Christus sacerdos in æternum vocetur à fructu & merito sacrificii sui, eo quod teste Paulo *heb.* 10. sacrificium in ara crucis obtulit, quod valorem habet æternum, & una oblatione consummavit in æternum sanctificatos, tunc potest & debeat passio & mors Christi *eterna Lanetzach* vocari in tantum, quod ipsorum valor & meritum per infinitam durabunt æternitatem. Et idcirco nequit Christus à valore meritoque sacrificii sui cruenti sacerdos in æternum *Leolam* ad longum duntaxat tempus vocari. Ut igitur sacerdos noster propriè sacerdos in æternum *Leolam* ad finem usque mundi vocetur, nequit nomen hoc nec à sua persona, quæ semper durabit, cessabitque nunquam, nec ab ipso sacrificio cruento, utope cuius fructus perpetuo quidem manet in Ecclesia, actio tamen ipsa semel tantum in ara crucis peracta est, transivitque nunc nec jam est, nec unquam amplius erit, quippe cuius sacerdos offerens jam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur, derivari; sed necessario provenire debet à sacrificio proprio, quod Christus tanquam permanens summus sacerdos medianibus aliis ad id ordinatis viris continuo, quoad mundus steterit, peragat in terris; et si enim Christus principalis sit Ecclesiæ sacerdos, largitur tamen & aliis absque sui diminutione dignitatem hanc, ut testatur Basilius serm. de pœnit. scribens: *Lux est, & dicit Apostolis: vos estis lux mundi, sacerdos est & sacerdotes facit.* Quocirca cum Christus sacrificium incruentum juxta ritum & ordinem Melchisedech sub speciebus panis & vini instituerit, illudque ad salutem Ecclesiæ, quoisque ea mansura sit, ordinarerit; Ecclesia autem in æternum *Leolam* finem usque mundi maneat, proindeque & hoc sacrificium eousque mansurum sit, & nonnisi cum Ecclesia desirum: Hinc nonnisi ab hoc sacrificio Christus sacerdos in æternum *Leolam* ad finem mundi usque rectè nuncupari poterit.

LXIII. Hoc ipsum quoque concors est sanctorum Patrum mens. Oecumenius explicaturus, quo sensu Christus sit dictus sacerdos in æternum: non de illa, inquit, semel oblata hostia dixisset (David) in æternum, sed ad sacerdotes no-

tri temporis aspiciens, per quos medios Christus ipse sacrificat & sacrificatur. Eu-
sebius Cæsariensis lib. 5. demonst. Evang. cap. 3. scribit: Salvator noster Jesus,
qui est Christus Dei, ipsius Melchisedechi ritu, ea quæ ad sacerdotium ab homi-
nibus gerendum, spectant, per suos ministros perficit; nam quemadmodum ille
(Melchisedech) qui erat sacerdos gentium nusquam videtur sacrificiis corporali-
bus functus, sed vino solo & pane, ita sane primus ipse Salvator & Dominus no-
ster, deinde, qui ab ipso profecti sunt sacerdotes in omnibus gentibus spirituale
secundum ecclesiasticas sanctiones sacerdotis munus (oblationem sacrificii) ob-
euntes vino ac pane & corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repre-
sentant. Theophylactus in cap. 5. hebr. *Tu es sacerdos &c.* haber: manifestissime hoc de
Christo dictum est: solus enim ille pane & vino sacrificium consecravit, perinde ac
Melchisedech. . . . Qui verò dixit in æternum? quia quæ in singulos dies fit, &
futura est in perpetuum oblatio per Dei ministros, ipsum habet pontificem & sacer-
dotem Dominum, atque adeo ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat &
frangitur & distribuitur. Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annuntiabitur.

§. VII.


*Cum igitur Christus in cœna sua ultima, in qua tremendum corporis
& sanguinis sui instituit sacrificium, omnes Apostolos tributa eis consecran-
di potestate sacerdotes initiaverit; hinc dubium quidem est nullum, Aposto-
los tributâ hac sibi potestate usos, ad imitationemque magistri sui sacrificium
isthuc incruentum immolasse.* Quandonam autem id primum peragere cœ-
perint, nou adeo decisum reperitur. ***

* Quod Apostoli tributa sibi consecrandi potestate fuerint usi, sacrificiumque
à Christo in ultima cœna institutum ipsi quoque celebraverint, perspicui ostend-
unt S. Scripturæ loci.

LXIV. Primus est act. cap. 13. ubi Lucas divinam illam Pauli & Barnabæ
ab aliis Apostolis, qui erant Antiochiæ segregationem narrans, rem sic describit:
*ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus dixit illis Spiritus S.: segregate
michi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos;* atqui ministerium hoc,
quod Apostoli hic Deo exhibuisse dicuntur, non erat aliud, quam sacrificium Eu-
charisticum, quod Deo offerebant: etenim loco ly ministrantibus, ut vulgata nostra
habet, textus græcus vertit: *sacrificantibus autem illis Domino;* Erasmus reddit: *cum
illi sacrificarent Domino, & translatio tigurina: cum operarentur Domino.* Porro sa-
eris vel Deo operari aliud non est, quam sacrificare. Proindeque ly ministrare significat
hic ministerium non quocunque, sed sacrum & publicum à Jesu Christo insti-
tutum,

rutum, sacrificium scilicet & celebrationem liturgiae. Et sicut non nisi ministerio hoc divino strictè propriè & proximè dicitur quis ministrare Domino; siquidem in sacris officiis cæteris, sive ipsa sint circa verbi divini prædicationem, sive sacramentorum distributionem, aut simile aliud opus divinum, haec potius hominibus, quam Deo impenduntur; non enim propriè concionamur Deo, nec propriè dispensamus sacramenta Deo, sed populo, cui æternæ salutis ministri & dispensatores mysteriorum Dei constituti sunt sacerdotes. Ea propter S. Lucas loco citato dicit notanter: ministrantibus *Dominō*, ut per verbum adjectum *Dominō* ministerium non aliud, quam sacrificium significare denotaret: eo vel maxime, quod licet verbum *ministro* ad sacra & profana accommodari possit ministeria, cum tamen accommodatur ad sacra, & in scripturis absolutè ponitur, ut Luc. II. v. 23. *& factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, pro ministerio sacrificii accipitur;* præcipue si id contextus & circumstantiae, ut in præsenti est, exigant; si enim quæcunque bona opera intelligere voluisset S. Lucas, cum scripsit: *ministrantibus autem illis Dominō, non addidisset: & jejunantibus;* hoc enim sensu jejunare quoque Deo ministrare fuisset. Restat igitur, ut sacrificium altaris sit illud, quod sancti illi Christi discipuli, de quo in illo loco tam specialis fit mentio, eo temporis perfecerunt.

LXV. Secundus locus est Luc. 2. v. 42. ubi de Ecclesia, quæ erat Ierusalem dicitur: *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* Et cap. 20. una autem, prima scilicet, sabbathorum, cum convenissent ad fragendum panem. Quibus in locis nomine: *fractio panis,* sicut non venit aliud, quam sacrificium Eucharisticum; qualis enim specialis primorum fuisset laus Christianorum, quod perseverantes essent, sive convenientes ad manducandum, aut frangendos panes communes? Præterea id quoad textum priorem ex verbis circumstantibus ipsoque patet contextu: ea enim panis fractio interjicitur ibi doctrinam Apostolorum inter & orationes; erat ergo fractio illa ejusdem cum duobus illis ordinis, puta spiritualis, uti duo illa: doctrina Apostolorum & orationes spiritualia erant. Verbum fractio panis, quod Evangelista adhibet hinc, ad corpus Domini nostri Jesu Christi indigitandum; ex sequitur nudam panis distributionem, non sacrificium exprimere videtur; ast, cum abs dubio Apostoli suum hic imitati fuerint magistrum, qui non nudam fregit panis substantiam, sed ipsa substantia panis in verum corpus per sacrificium mutata, corpus suum verum sub speciebus panis exitens discipulis ad manducandum porrexit; uti §. præcedenti demonstratum fuit. Hinc quoque firmum perstat, Apostolos eandem magistri sui actionem sacrificativam circa panem exercuisse, & panem in verum Christi corpus prius transubstantiatum relictis panis speciebus, finalibus ad manducandum præbuisse. Et hoc est, quod Evangelista *panis fractio-* mem appellat.



LXVI. Tertius locus est : 1. Cor. 10. ubi Apostolus ab idolatria dehortans scribit : *fugite ab idolorum cultura, ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate, quod dico : calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? . . . Videte Israel secundum carnem, nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris? quid ergo? dico, quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quae immolant gentes, dæmonis immolant, & non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum; non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Ad pleniorum verborum horum intelligentiam sit

Prænotamen I. Altare & mensa denotat hinc victimas in altari & mensa oblatae: sumuntur enim hinc altare & mensa per metonymiam pro sacrificio ipso, quod in altari & mensa offertur. Pariter calix Domini significat hinc idem, ac calix Domino sacrificatus, sicuti calix dæmoniorum aliud non est, quam calix dæmonii oblatus & sacrificatus.

Prænotamen II. Gentiles post sacrificium peractum trasserebant ex altari mensaque idoli carnes idolo immolatas ad mensam communem juxta altare vel templum positam, ut ex iis comedenter illi, quieas obtulerant, cum amicis suis & aliis invitatis: solebant enim sacrificia, & festa sua hoc sacro claudere epulo; imo & post sacrificium ex victimis oblatis partem asportabant secum domum, ut eam distribuerent domesticis, atque ad amicos mitterent, siveque absentes sacrificii participes facerent, uti ex Herodoto docet Gyraldus de Diis gentium. Pariter iudei de sacrificiis, quae obtulerant, comedebant in atrio ante templum, ut constat ex 1. Reg. 9. & 13. His prænotatis.

Tota ergo Apostoli raciocinatio eo reducitur, ut averteret fideles Corinthios ab idolatria. Hin, fugite, inquit, *ab idolorum cultura, proindeque a dapibus, quae iisdem immolatae sunt; videte enim O Christiani! Israel secundum carnem, nonne ipsi dum edunt hostias Deo oblatae censentur participes sacrificij in altari Deo oblati, ipsumque consumere sacrificium, ac per hoc quodammodo sacrificare. Ita & Idolothyra comedentes in idolio, seu ut idolo immolatas & consecratas participant & consentiunt eorum sacrificio in altari dæmonibus oblati; qui enim sic ea comedunt, ipso facto tacite profitetur idolum sacrum esse numenque, & per idolum carnem illi oblatam esse sacram, tanquam numini alicui oblatam, quod est idolatria: hoc autem fit, quando eo modo, loco & circumstantiis idolothyrum comeditur, ut moraliter censeatur comedens ad idoli honorem illud comedere, & cum has partes quasi sacras mente colendi idolum mittebant offerentes recipiebant comedebantque amici; cum hoc modo sacrificium quasi consumant, ac per*

per hoc quasi sacrificant idolis. Eodem modo Christiani Eucharistiam sumentes participes sunt sacrificii Eucharistici, & per sacerdotem Deo Eucharistiam sacrificant; per consequens indecens est, ut Christiani dæmoni sacrificent, hoc ipso, quod de idolothytis participant. Non enim potestis calicem Domini in illius mensa bibere, & calicem dæmoniorum ad ipsorum mensam. Non potestis mensæ Domini, in qua Christi corpus & sanguis litatur, participes esse, & mensæ dæmoniorum, in qua dæmonibus sacrificatur. Non enim potest quis sacrificare Deo simul & dæmoni. In hoc igitur ratiocinio comparat Paulus Eucharistiam cum sacrificiis Gentilium & Judæorum, in quantum hæc sacrificia sunt, contenditque Christianos per communicationem corporis Domini participes fieri sacrificii seu victimæ in altari Christianorum oblatæ, sicut gentiles idolothyta manducando participes sunt sacrificii dæmoniorum, & Judæi sacrificii Livitici: unde evidenter implicite afferit, aut pro certo supponit in Ecclesia Christiana aliquod verum immolari sacrificium, quod a fidelibus sumeretur, quemadmodum simile siebat apud Gentiles & Judæos: ergo cum Ecclesia præter Ss. Sacrificium incruentum corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi nunquam agnoverit Sacrificium ullum: Sacrificium Missæ fuit sacrificium illud Christianorum, de quo Paulus hic loquitur, & quis jam prudens hærebit dubius, sacratissimum illud incruentum altaris sacrificium Apostolos obtulisse Deo.

LXVII. Imo Apostolos Christi mandata non neglexisse legitur apud D. Gregorium in epist. ad quendam Episcopum Syracusanum, in qua dicit, quod D. Petrus Apostolorum Princeps missam celebraverit Antiochiae, & verbis consecrationis orationem dominicam addiderit. Idem afferit Isidorus lib. I. de eccles. offi. cap. 15. *Ordo missæ vel orationum, quibus oblatæ Deo sacrificia consecrantur, primum à S. Petro est institutus, cuius celebrationem uno eodemque modo (quoad substantiam) universus peragit orbis.* Jacobus quoque frater Domini & primus Jerosolymorum Episcopus missam celebrasse Jerosolymis legitur. Saltem de ritu hujus sacrae actionis celebrandæ allegatur à synodo VI scriptum ejus cum libello de missa, quem edidit S. Basilius. Verba synodi, cum hydroparastarum errorem damnat can. 23 sunt hæc: *Etenim Jacobus ille secundum carnem frater Christi Dei nostri, qui Jerosolymitanæ Ecclesiæ primus sedem concreditam habuit, Basilius ille Cœsareæ Episcopus, cuius gloria omnem terram pervagata est, scriptis nobis mysticum sacrificium tradentes, sed consummatum in divino sacramento ex aqua & vino sanctum illum calicem tradiderunt.* Huc etiam facit illustre S. Andreae Apostoli testimonium in epist. encyclica presbyterorum & diaconorum Achajæ (cujus authentiam inter alios contra pseudo-criticos strenue defendit libro desuper edito Lypsiæ 1741 Carolus Christianus Woog antiq. Ss. in academia Lypsiensi prof. publ.) ego omnipotenti Deo, inquit Andreas, omni die vivum offero sacrificium, non tauris quidem fumum, neque taurorum mugientium

entium carnes, nec hincorum sanguinem, sed purum agnum quotidie in altari crucis Deo offero, cuius carnes, postquam credens in Christum populus comedit, & sanguinem ejus bibit, immolatus agnus integer tamen permanet & vivus.

LXVIII. ** Ex his igitur sacrificium missæ ab apostolis frequentatum fuisse, sat luculenter habetur. Quandonam vero Apostoli id primo peragere cœperint, an statim, ac Dominus à mortuis vivus resurrexerit, an prius post adventum Spiritus S., sicut scriptura, silent antiqui Patres. *Cardinalis Bona rerum liturg. cap. V.* probabiliorem judicat sententiam eorum, qui existimant, nequaquam ausos fuisse Apostolos tam sublime mysterium aggredi, donec ad illud disponerentur divinæ gratiæ plenitudine, quâ in adventu Spiritus S. imbuti sunt: cuius potissimum fundamentum ex eo deduci putat, quod, ut affirmant melioris notæ Theologi, adhuc lex antiqua, usque ad Pentecosten vigebat novâ nondum sufficienter promulgatâ; nec decebat novum offerri sacrificium sacerdotio veteri nondum translato. Favent actus Apostolorum, in quibus *cap. 2.* legimus, Apostolos accepto Spiritu S. hortatos esse populos ad poenitentiam, continuoque subdunt, fuisse eos perseverantes in communicatione fractionis panis & orationibus: cumque eadem verba ante descriptam missionem Spiritus S. *Lucas cap. 1.* dixisset, nullam facit mentionem fractionis panis, sed erant, inquit, perseverantes unanimiter in oratione & obsecrationibus; quia nimis ante Pentecosten nondum erat usus Sacrificii & communionis. Primum igitur Sacrificium Missæ, ait *Hesychius in cap. 9. Levit.*, peractum est Jerosolymis a S. Petro in ipso metu cœnaculo, in quo Spiritum S. acceperant Apostoli.

§. VIII.

*Sacrificium Missæ, quod præcipiente Magistro Iuo Jesu Christo Apostoli religiosé Deo litârunt, ab Apostolico quoque ævo ad nostra usque tempora continuo & constanter ab Apostolorum in sacerdotio successoribus pie & sancte celebratum fuisse irrefragabiliter patefaciunt constans perpetuaque Ecclesiæ praxis * Liturgiæ ecclesiastice ** Usus altarium *** Definitiones Conciliorum **** & unanimis omnium universi orbis Ecclesiarum consensio.*

* *Constans, perpetuaque Ecclesiæ Praxis.*

Quotquot e Patribus Græcis & Latinis a primis ad nos usque deductis temporibus de Eucharistia vel ex professo vel obiter scripserunt, omnes Eucharistiam

stiam verum agnoscunt sacrificium, & confectionem Eucharistiae, quam nos Missam nuncupamus, adstruunt unanimiter.

PATRES GRÆCI.

LXIX. *Justinus Martyr*, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, circa finem *Apolog.* anno 150 ita scribit: Die, quæ appellatur solis, omnes sive in civitate, sive ruri habitantes in unum locum conveniunt. Ibi scripta Apostolorum & Prophætarum leguntur, quamdiu ratio temporis admittit; cessante Lectore, qui congregationi præest, pro concione dicit, & ad ea, quæ lecta sunt, præclarissima documenta opere complenda, populum hortatur: tunc surgimus omnes, & ad orationem vertimur, quam sequitur panis vini & aquæ sacrificium, & prælatus preces & gratiarum actionem, prout potest, perficit, toto populo respondente: Amen. Tunc sanctificata inter præsentes distribuuntur, & absentibus per manus Diaconorum deportantur.

Irenæus Polycarpi discipulus lib. 4. cap. 32: Dominus suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingratii sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit & dixit: *Hoc est corpus meum.* Et calicem similiter, quæ est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & N. T. novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.

Eusebius Cæsariensis lib. 1. demonst. Evang. cap. 10: Merito sane, inquit, illius memoriam, corporisque & sanguinis ejus recordationem quotidie celebrantes, & ad longe præstantius sacrificium & munus assumpti, quam illud antiquius fuerat, non amplius fas esse putamus, in prima illa & infirma elementa recidere, signa quædam & imagines, non ipsam veritatem continentia.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. habet: Sic per hujusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita Spiritum sanctum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi; omnino enim quod attigerit Spiritus S., hoc sanctificatur & transmutatur: deinde vero postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro omni Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, pro afflictis, in summa, pro iis omnibus, qui egerint auxilio. Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Non solum

Ium igitur Missam verum esse sacrificium *Cyrillus* agnovit, sed & propitiatorium esse pro vivis & defunctis docet. Ex *Cbryostomo de obitu Constantini* refert *Fleurius L. XI. §. LX.* Constantio jubente corpus Constantini cum pompa in Ecclesiam Apostolorum translatum est, ipso etiam Constantio funus comitante. Cum ad Ecclesiam per ventum esset, cum militibus recessit Constantius, quod esset adhuc Catechumenus; at Clerici populusque fidelis consuetas preces & sacrificium peregerunt.

PATRES LATINI.

LXX. *Tertullianus lib. ad Scapulam cap. II.* scribit: Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipius. Et *lib. de cultu fæminarum cap. II.* vobis nulla procedendi causa non tetrica: aut imbecillis aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut verbum Dei administratur; quodlibet horum sanctitatis & gravitatis negotium est.

S. *Cyprianus ep. 5. ad Clerum suum* habet: Dum fratres urgente necessitate bonos confessores visitant, caute agendum suadeo, nec magno numero & tumultu illuc eundum puto, ne infidelium iracundiam provocemus, nobisque aditus præcludatur, ita, ut dum nimium petimus, totum perdamus; ad hæc ergo attendant ipsi presbyteri, qui in carceribus confessorum sacrificium offerunt. Refert etiam *Fleurius ad annum 253. §. XXII.* Rescriptum Cypriani ad Ecclesiam Furnensem, cuius hæc est materia: quidam Christianus nomine Geminius Victor suo testamento presbyterum Geminum Faustum constituit tutorem. S. Cyprianus, Episcopi & Presbyteri Concilii III. Carthag. hoc factum fuisse indoluerunt, quia in Concilio præcedenti fuerat decretum, ne quis Clericum tutorem aut curatorem testamento nominaret, quo ab oratione & altaris servitio abstraheretur; quod si tamen aliquis testator fecisset, oblatio non fieret pro eo, & sacrificium pro decessu ejus non celebraretur; igitur statuerunt decreto Concilii standum, nec ullam oblationem aut preces pro Geminio Victore esse persolvendas.

S. *Ambrosius in precatione ante missam:* Ego Domine, inquit, memor venerandæ passionis tue accedo ad altare tuum licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti & offerri præcepisti in tui commemorationem. *Epist. 58. ad Imperatorem Theodosium,* quando illum ob cœdem Thessalonice patratam à communitione repulerat ait: offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere.

LXXI. Vereor, ut intempestivæ & inutilis diligentiae arguar, si perrexero aliorum

aliorum verba transcribere; omnium enim omnino Patrum, qui vel prioribus secalis, vel adulta Ecclesiae ætate scripsérunt vox una est, sacrificium misse rem in Ecclesia esse notissimam semperque frequentatam. Hoc & invitatus fateri coactus est Lutherus lib. adversus Regem Angliae scribens: *Ultimo dicta Patrum adducit Rex pro sacrificio missarum statuendo, & videt meam stultitiam, quod solus velim sapere præ omnibus: hic dico confirmari hoc nomine meas sententiam; nam hoc est, quod dico Thomisticos asinos nihil habere, quod producant, nisi multitudinem hominum & antiquum usum; ego vero adversus dicta Patrum hominum Angelorum, dæmonum pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius Majestatis æternæ verbum Evangelicum.* Et lib. de missa privata ait: *Hic non moramur, si clamitent Papistæ: Ecclesia, Patres, Patres: quia hominum dicta aut facta, opera aut verba extra verbum Dei nihil in tam magnis causis curamus...* Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos; verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos. Hæc an furor sint vel dementia, judicent D. D. Adv. Nonne idem dicere possent Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Sociniani aliquie vel Deo Trinitatem Personarum, vel Christi veram aut humanitatem aut divitatem abnegantes? Nonne & ipsi Evangelium jaçitant, seque in eo explicando Patrios, Conciliis, Ecclesiæ tota magis illuminatos pariter gloriantur? quid ergo reponent his D. D. Adversarii?

* * Liturgia Ecclesiastica.

LXXII. Unus quidem fuit semper circa ipsam sacrificii essentiam omnium Ecclesiarum tam orientalium, quam occidentalium consensus; ast circa ipsum sacrificii peragendi modum varia fuit tam pro temporum, quam pro locorum diversitate disciplina. Neminem latet, Christum sacrificium istud incruentum in ultima cœna instituisse, illudque celebrasse eo modo, quem apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum & Lucam, ac Paulum i. Corinth. descriptum legimus. Verum eti Christus discipulis precepit in ipsa sacrificii institutione, ut, quod à se factum fuerat, idem & ipsi deinceps in suam facerent commemorationem; non tamen, ait *Ernulphus Roffensis Episcopus*, praefixit modum, quo id facere deberent. Hinc esse videtur, cur Christus: *Hoc facite in meam commemorationem, non: hoc modo facite dixerit.* Certum proinde est, ait *van Espen J. E. U. Part. 2. Tit. 5.* Ipsum Apostolis suis totique Ecclesie in eorum persona potestatem, autoritatemque dedisse ea omnia in augustissimi hujus Mysterii ritibus seu cæremoniis addendi, demendi, immutandi, quæ illius dignitati populorumque devotioni pro temporum & locorum diversitate magis congruere judicarent. De hac Christi intentione ita certus erat Paulus, ut ea sibi tradita potestate in Corinthiorum Ecclesia uti posse significet, cum ad eam scribit: *Cætera, cum venero, disponam.* Per sua-

suasum quoque erat Augustino, Ecclesiam accepisse plenam mutandi hos ritus potestatem, eaque usam esse sine temeritate & arrogantia afferit, quando voluit Eucharistiam à jejunis accipi, quam à Christo Apostolis non jejunis, sed iam iampræ cena porrectam noverat. Et ideo, ait, non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesiæ dispositurus erat, servaret hunc locum. Sunt igitur quædam ab omnibus Liturgiis, in quibus omnes Ecclesiæ in celebrando sanctissimo hoc sacrificio convenient, cujusmodi sunt panis & vini præparatio, oblatio, consecratio, communio, & ipsius sacramenti communicare volentibus distributio. Quædam sunt, quæ licet in omnium gentium Liturgiis reperiantur, Psalmorum scilicet modulario, lectio sacrae scripturæ, precatio pacis, preces diversæ, & si quæ alia sint, ejusdem generis; modus tamen & ritus, quibus haec omnia peraguntur, verba, quibus preces concipiuntur, ordo cæremoniarum & reliqua momenti minoris diversis Ecclesiis diversa & peculia furent. Causæ vero rituum varietatis in una fidei unitate haec fuisse videntur, vel quia disparès diversarum nationum mores & ingenia sunt, quæ diversos ritus & cæremonias uti in rebus politicis, ita etiam in Ecclesiasticis exigunt, vel quia nullo extante de his Christi vel Apostolorum præcepto libera facultas Episcopis, ut arbitratur Socrates lib. 5. cap. 21. relictæ est id sentiendi & discernendi, quod unicuique salva fide expediens fuerit, vel quia sæviente in Christianos persecutione cœtus Episcorum in unum cogi non potuit, in quo communibus suffragiis communis forma sacrificii celebrandi ab omnibus custodienda stabiliretur. Divisis enim inter Apostolos ad Evangelii prædicationem Provinciis credibile est, unumquemque illorum gentibus, quas fide imbuerat, modum quoque Liturgiæ ad eorum mores, quibus ante suscepitam vivebant fidem, accommodatum tradidisse; quia verò dissimiles fuerunt semper apud varias nationes mores, hinc orta rituum & Liturgiarum diversitas est. Eadem libertate alios item Antistites usos fuisse, qui variis in regnis successu temporis Evangelium disseminarunt, Ecclesiasticae historiæ scriptores docent. Nota est Epistola Gregorii M. ad Augustinum, quem in Angliam misit, ut illas gentes ad fidem converteret; illi enim interroganti: *cur una cum sit fides, sint Ecclesiæ consuetudines tam diversæ, & altera consuetudo sit in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis teneatur.* Sic respondit Summus Pontifex: *Novit fraternitas tua Romane Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritum; sed mihi placet, ut sive in S. Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo posset placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis inuenire potuisti, infundas; non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt.*

LXXXIII. Quænam vero ipsi Apostoli circa modum ritusque peragendi sacrificii post Christum addiderint, aut immutarint, varia admixtum fuit & antiquorum

rum

rum & recentiorum opinio. Gregorius M. Lib. 7. Ep. 63. morem Apostolorum fuisse scribit, verbis consecrationis solam orationem dominicam addere. Walefridus Strabo. Cap. 2. de rebus Ecclesi. vult in primis temporibus missas solitas fuisse celebrari (additis tamen verbis consecrationis) sicut modo sit in die Paracceves. E contrario Proclus Constantinopolitanus in lib. de trad. dicitur. Liturgia vult temporibus Apostolorum longo verborum ambitu missam decantatam fuisse. Dissidentes haec in speciem Patrum sententiae conciliari videntur, si dixerimus, Apostolos utramque formulam brevem & prolixam diversis adhibuisse temporibus; brevem quidem, cum temporis angustia & persequentiū metu premebantur; prolixam vero, cum per tempus & occupationes habebat. Hinc credibile est, ab initio brevissimum fuisse Liturgiae ritum, ita exigente primae Christianitatis inter procellas adversantium nascentis conditione; postea vero crescente fideliū numero cœperunt Apostoli lectiones, preces, ceremonias adjicere, quibus & sacrificii dignitas clarius eluceceret, & major ipsi veneratio conciliaretur pietasque fideliū, ac fervor magis accenderetur; formulaque haec ea viderur fuisse, quam Justinus Martyr apologeticus supra N. LXIX. adducta descripsit, & utpote temporibus Apostolorum proximus ab iis, qui Apostolos viderant & audierant, accipere potuit.

LXXIV. Pace vero Ecclesiae reddita ipsarum Missarum solemnia sensim majore cum ponipa cœperunt celebrari, plurimaque pro temporum & locorum conditione addi & immutari. Hinc tot diversæ orientalium æque ac occidentalium Liturgiæ: ut Liturgiæ S. Petri, S. Matthæi, S. Joannis Evang., S. Marci, S. Jacobi, S. Clementis & Dyonisi Areopagitæ, quæ omnes, licet subiecte sint fidei, antiquissimæ tamen sunt. Liturgia S. Basilii & Chrysostomi ambæ genuinæ. Imo Liturgias ferè innumeræ esse testis est Nicephorus Callistus dicens: *Valde mibi laboriosum & difficile esset variantes per urbes & regiones omnes Ecclesiæ consuetudines enumerare & prescribere; id enim omnino fieri nequæ.* Et Abraham Echellensis apud Cardinalem de Bona lib. I. cap. IX. testatur, apud Christianas Orientis Gentes supra quinquaginta Liturgias partim communes, partim proprias diversarum gentium numerari; penes se autem, triginta & unam ex his extare, quas loc. cit. idem Cardinalis recenset. Principales Liturgiæ occidentalium potissimum sunt sequentes: *Romana*, cuius tamen triplex veluti ordo & status, ait CL. Zallwein de Liturg. quæst. 1. cap. 2. considerandus est est unus primigenius ab Ecclesiæ nascentis exordio ad Gelasium usque receptus: alter Gelasianus, authorem seu amplificatorem habens Gelasium Papam ejus nominis primum. Tertius Gregorianus, ita dicitur ex nomine Gregorii M. qui Gelasianum ordinem correxisse monstratur. Qualis fuerit ille primigenius non adeo constat. Ritum quendam à Divo Petro per traditionem accepisse Romanam Ecclesiam, illumque postea continuatum, & ad successores Petri continua-

traditione pervenisse plurimorum authorum est sententia, arbitranturque eum fuisse ritum illum, quem Justinus Martyr supra describit. *Africana, Ambrosiana, Mozarabum Hispаниcè*, quia, ut ait van Espen, cum Arabes Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes* & corrupto vocabulo *Mozarabes*, id est mixti cum Arabibus dicti sunt, atque inde officium eorum *Mozarabicum*. Quo tempore ritus hic compositus sit, incertum est, in usu fuisse videtur apud Hispanos vicinasque gentes ab initio saltem saeculi V. usque ad Gregorium VII, quo præcipiente Hispani romanum suscepere ritum. *Gallicana*, hæc Liturgia in Galliis duravit usque ad Carolum M.; Jussu enim piissimorum Regum Pipini & Caroli M. Liturgia romana in locum gallicanæ in Gallia fuit recepta.

LXXV. Cum igitur Liturgiæ hæ omnes, quæ ubivis extitère unquam, extantque modo in se, aliud sint nihil, quam ipsamet ordinatio formulæ & modi, quo sanctissima conficiatur Eucharistia, adeoque sacratissimum celebretur Missæ sacrificium, omnesque, licet in ritibus discrepent nonnullis, in ipsa tamen sacrificii substantia, oblatione seilicet & consecratione, ceu ipsa substantiæ panis in verum Christi corpus, substantiæque vini in verum ejus sanguinem transmutatione, conspirent constanter, concordentque unanimiter; hinc ex hoc vel solo consecrarium fluit apertum, omnibus ab Apostolico ævo ad nos usque retro deductis temporibus sacrificium Missæ pie & sancte celebratum fuisse continuo, celebrarique hodie dummodo adhuc eodem,

*** *Usus Altarium.*

LXXVI. Altaria nonnisi ad sacrificia propria consuevisse erigi, & D. D. Adv. inficias non eunt. Ideo Calvinus lib. 4. *Instit. cap. 18. §. 12.* de differentia Sacramenti Eucharistiae & sacrificii propriè dicti ait: *mensam nobis dedit, in qua epulemur, non altare, super quod offertur victimæ, non sacerdotes consecravit, qui immolent, sed ministros, qui suum epulum distribuant.* Petrus Martyr contra Gardinerum scribit, nullum esse debere in Ecclesia altare, & Boehmerus *J. E. lib. III. §. LI.* vult Christianos in primitiva Ecclesia altaria non habuisse. Hac etiam de causa D. D. Adv. altaria ubique demoliuntur, & pro altaribus mensas convivales substituunt, quia bene intelligunt altaria sacrificii propriè dicti signa esse evidentissima. Quare si in primitiva Ecclesia ad Eucharistiam celebrandam semper extitisse altaria ostensum fuerit, demonstratum simul erit, Eucharistiam ex eorum sententia sacrificium esse, sacrificiumque hoc, quod Missam vocamus, in Ecclesia continuo celebratum.

LXXVII. Percipiamus igitur perillustre veritaris hujus testimonium ex ore Pauli. *Heb. 13. ¶. 10.* *habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui taber-*

tabernaculo deserviunt. Hæc Apostoli verba de altari Eucharistiæ, non vero de altari crucis intelligenda esse palam est 1.: quod Apostolus loquatur de N. L. altari Christianis solis proprio, non vero de altari Judæis cum Christianis communi; altare autem crucis sive cruentum Christi in ara crucis sacrificium non est soli religioni Christianæ proprium, sed commune omnibus veris, quotquot ab origine mundi saepe religionibus: cum justi omnes sub lege seu naturæ, seu Mosaica per hujus sacrificii influxum sanctificati sint. Insuper sacrificium religioni cuiquam proprium, debet ipsam perpetuo comitari; sacrificium vero crucis, et si quoad effectum permaneat, reipsa tamen desiit statim, ut oblatus est Christus, repetique poterit nunquam. Imo nec strictè tempore religionis Christianæ fuit; hæc enim propriè non nisi post Christi mortem incœpit. Palam est 2. ex verbo *edere*, de altari enim Eucharistiæ, non de altari crucis propriè dicimus *edere*. 3. Paulus tabernaculo, id est altari tabernaculi veteris, ex quo sacerdotes & offerentes Judæi victimas comedebant, tanquam escas sanctas opponit altare hoc Ecclesiæ novum, ex quo sacerdotes & fideles, non escas carnales boum & ovium, sed escam divinam & cœlestem comedunt; atqui altare illud tabernaculi altare erat propriè dictum: ergo & hic altare propriè dictum intelligit Paulus, altare scilicet Eucharistiæ, quod Antitypum est, & directè altari tabernaculi opponitur.

PATRES GRÆCI.

LXXVIII. *Irenæus lib. 4. cap. 20.* Sacerdotes ait, sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros, neque domos hic hæreditant, semper altari & Deo serviant. Et *cap. 34.* sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare.

Gregorius Nazian. orat. 12. in laudem S. Basillii: cædes, ait, super cædes, cadavera super cadaveribus sacrosancta contaminatis conculcata pedibus altaria.

Cyrillus Hierosol. Catech. 3. Sacrificium offerimus, ait, postea facimus mentionem eriam eorum, qui ante nos obdormierunt, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.

Eusebius Cæsareens. In vita Constantini: Qua de causa, ait, tunc altaria in toto terrarum orbe constructa sunt, tam augustæ sanctæque Ecclesiæ ædificatæ. *Lib. 10. histor. cap. 4.* ait: Sanctuario hoc modo absoluto, altari denique tanquam sancto sanctorum in medio sanctuarii sito, ista rursus, ut à plebe non posset accedi, cancellis circumdedit.

Gregorius Nyffen: Nam & *altare* hoc, ait, cui assistimus, lapis est naturâ com-
munis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur,
& pavimenta exornantur, sed cultui Dei consecratum & dedicatum est, ac be-
neditio[n]em accepit, mensa sancta, *altare* immaculatum est, quod non amplius ab
omnibus, sed à solis sacerdotibus contrectatur.

S. Chrysostomus hom. 53. ad pop. Antioch.: Si quis, ait, ignem sumens &
fossoriam hanc destruxisset, domum & incendiatur, & hoc suffocisset *altare*,
nonne quilibet eum lapidibus obrueret tanquam profanum & impium? Deinde
lib. 6. de Sacerdotio: Qui sacerdos, ait, sacrificium honore & reverentia ple-
nissimum perficit ... per id tempus & Angeli sacerdoti affident, & locus *altari*
vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum Choro plenus est. Ecce
quoniam superponunt hi antiquissimi græcorum Patres, non solum altaria Ec-
clie, sed & in illis sacrificium, non qualemque sed honore & reverentia ple-
nissimum celebrari.

PATRES LATINI.

LXXIX. *Marialis Apostolorum discipulus epist. ad Burdegalem cap. 3.*
ait: Nam dum altaria dæmonum in pulverem redigerentur, aram ignoti Dei ad
consecrationem reservari jussimus, quæ dedicata in nomine Domini Dei Israel &
ipsius testis Stephani, qui pro eo a Judæis passus est, non hominis cultum, sed
Dei in ea frequentantes: Sacrificium enim Deo creatori offertur in *ara*, non
homini, non Angelo.

Tertullianus lib. de orat. cap. 14. nonne, ait, divino sacerdotio honorati &
in clero ministerio constituti nonnisi *altari* & sacrificiis deservire debent?

Hilarius lib. 3. ad Constantium Imperatorem Arianum sic scribit: Mediola-
nensem piissimam plebem tu furore terroris tui turbasti, tribuni tui adierunt
sancta sanctorum, & viam sibi omni per populum crudelitate pandentes, pro-
traxerunt de altario sacerdotes.

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum Donatistam: Basilicas, in-
quit, invasistis, & cum *altare* defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi
cruentati sunt. Rursus *lib. 6*: quid enim, ait, est tam sacrilegium, quam Dei
altaria, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? Et
post unam paginam: in hoc genere tanta damna fecistis Deo, quanta lucra Dia-
bolo procurauit: conflastis impie calices, crudeliter fregistis, & inconsulto rasistis
altaria.

Am-

Ambrosius Lib. I. de Sacramentis: Levitam vidistis, sed minister Christi est, vidistis illum ante altare ministrare.

S. Hieronymus epist. 3. ad Heliodorum: Erat, inquit, solicitus Nepotianus, si niteret altare, si pareres absque fuligine essent.

En iterum apertissima vetustissimorum Ecclesiae Latinæ Patrum testimonia, in primitiva Ecclesia certos fuisse ad offerendum ordinatos sacerdotes, certaque, in quibus sua offerrent sacrificia, erecta altaria.

LXXX. Quod autem Minutius Felix in dialogo, qui Octavius inscribitur, inducat Coecilium ethnicum ita cum Octavio Christiano loquentem: *cur nullas aras habent Christiani, nulla templa, nulla simulacula?* ex Minutii processit ignorantia: nam Christiani temporibus illis duplii de causa cavebant quam diligenter, ne sacris nostris ulli interessent Ethnici 1: quia ad tanta intuenda mysteria prorsus non erant idonei. 2. ob metum persecutionum, quam ob causam non infreuerter etiam in cryptis & cavernis, vel certe in privatis domibus rem divinam furtim quasi facere cogebantur. Unde vulgo existimabantur plane Athæi, quod nullis palam sacrificare Diis viderentur. Caeterum non solum tempore Minutii, sed & longe ante altaria habuisse Christianos, ex allatis ad oculum palam est testimonii.

**** *Definitiones Conciliariorum.*

Ad Concilia pertinere non solum de dogmatibus agere fidei, sed & ritus etiam in sacris functionibus servandos praescribere, succrescentibus malis afferre remedia, exortas componere controversias, collapsam disciplinam reparare, negabitis ne unius. Unde cum discrepantia rituum fomenta præbebat dissensionum, huic tollendæ sancti Episcopi Graeci, æquè ac Latini synodaliter congregati, incuruerunt sedulo. Ut

LXXXI. Synodus Nicæna I. Oecumenica anno 325. cap. 18. sic decrevit: *Pervenit ad sanctum & magnum Concilium, quod in quibusdam locis aut Civitatibus Presbyteris sacrie communionis gratiam Diaconi porrigit, quod neque canon, neque consuetudo tradidit, ut qui potestatem offerendi non habent, his, qui offerunt, corpus Christi porrigit. Ex quo apparer, offerre Eucharistiam non esse idem ac porrigere: hoc competere posse Diaconis; illud autem non nisi solis convenire sacerdotibus; offerre igitur est Eucharistiam confidere, sanctumque peragere Missæ sacrificium.*

Arelatense I. anno 314. Can. 2. decrevit, ut peregrino Episcope locus sacrificandi

fieandi detur; quæ verba certo de vero Missæ sacrificio intelligenda veniunt; nam ad preces tantum fundendas, vel ad gratiarum actiones agendas, nec petendus nec dandus foret locus, cum ea ubique fieri possint.

Carthaginense II. anno 390. Statuit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis forte presbyter ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore vel superbia inflatus, putaverit separatim Deo sacrificia offerenda vel aliud erigendum altare contra Ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exceat impunitus. Et ab universis Episcopis dictum est, si superbia inflatus secesserit ab Episcopis suis communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schismatica faciens sacrificium Deo obtrulerit, anathema habeatur, & locum amittat.

Ephesinum I. Inter Oeconomica III. anno 431. in declaratione Anathematissimi II. sic habet: Sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus, corpus, quod proponitur, similiter & pretiosum sanguinem non communis, nobisque similis hominis cuiuspiam esse credentes, sed potius tanquam proprium corpus effectum & sanguinem verbi, quod omnia vivificat. En ergo sacrificii nomen, & rem nomine expressam, proprium scilicet Christi corpus & sanguis, quod incruento modo proponitur, seu offertur.

Chalcedonense, quod est Oecumenicum IV. anno 451. à 690. Episcopis celebratum contra impium Eutychen & Dioscorum. Oblatus erat Concilii hujus Patribus libellus, in quo Dioscorus Patriarcha Alexandrinus præter cætera infamabilis avaritiæ argumenta accusabatur, quod ob nimiam ab eo illatam Lybiæ partibus frumenti caritatem, aliquamdiu sacrificium incruentum cessasset.

Vasense II. Anno 442. cap. 4. Statuit, ut in omnibus Missis, sive matutinis sive quadragesimalibus, sive in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper sanctus, sanctus, sanctus eo ordine quoad missas publicas, dici debeat, quia tam dulcis & desiderabilis vox, etiamsi diu noctuque dici posset, fastidium generare non poterit.

Arelatense anno 453. cap. 3. ait: Quicunque ab hac die contra ea, quæ superioris sunt comprehensa Clericum ordinare præsumperit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari, anno integro missas facere non præsumat; quam rem si quis observare noluerit, & contra confessum fratrum faciens missas celebrare præsumperit, ab omnium fratrum charitate noverit se alienum.

extra

Agathense anno 506. cap. 21. Statuit: si quis etiam ^Parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit reliquis fe-
stis-

festivitatibus, ut ibi missas teneat propter defatigationem familiæ justa ordinatione permittimus: Pascha verò, Natali Domini, Epiphaniâ Domini, Ascensione Domini, Pentecoste & Natali S. Joannis Baptiste, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in civitatibus aut Parochiis teneant. Et cap. 47. Missas die Dominico sacerdotibus totas teneri speciali ordine præcipimus, ita, ut ante Benedictionem sacerdotis populus egredi non præsumat; quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

Gerundense anno 517. cap. 1. habet: Institutio missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Terraconensi Provincia tam ipsius missæ ordo, quam psallendo & ministrando ordo servetur.

Aurelianense III. anno 537. cap. 14. Statuit; de missarum celebritate in præcipuis dunitaxat solemnitatibus id observari debebit, ut hora tertia missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia convenire.

Bracarense I. aliis II. anno 563. constituit, ut eodem ordine missæ ab omnibus celebrentur, quem profuturus ejus Ecclesiæ Archi-Episcopus à Sede Apostolica acceperat.

Toletanum X. vulgò XII. anno 681. omnium Hispaniæ Ecclesiarum fidem sic exhibet can. 5. Tories illi vero & singulari sacrificio (sacerdoti celebranti) participandum est, quoties ab eo corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta fuerit. Hæc sufficient; plura enim Concilia allegare labor videtur frustraneus. Vetustissima ea, quæ impræsentiarum adduximus, luce meridiana sistunt clari s, omni ab Apostolico ævo tempore sacrificium missæ usu constanti atque Catholico piè & sanctè peractum suisse celebratumque in Ecclesia sancta Dei.

***** *Unanimis omnium universi orbis Ecclesiarum consensus.*


LXXXII. Non leve, inquit Natalis Alexander Hist. Eccles. sec. XI & XII differt. 12. pondus est rationum, quæ ex impressa à Christi verbis in omnium Christianarum societatum mentibus facta arcessuntur. Sensus enim horum Domini verborum: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Hoc facite in meam commemorationem*, adeo evidenter præsentiae realis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia ejusdem confectionis, sacrificii missæ proprius atque literalis sensus est, ut nulla sit Christianorum societas, quæ Domini verba hoc sensu non intellexerit. Ita intellexisse Græcos antiquiores probat historia dissidii Michaelis Cerula-

Cerularii Patriarchae Constantinopolitani, & Leonis Acedani Episcopi cum Leonis
IX. Romano Pontifice & Ecclesiâ latina; cum enim consecrationem Eucharistia
in azymis aliosque ritus Latinis objecerint, Græci fidem transubstantiationis &
usum Missæ sacrificii objecerunt nunquam, objectari utique, nisi communis
ea Ecclesiæ utriusque fides fuisset; quæ enim esset Latinorum circa hæc fides,
ignorare Græci haud poterant, cum adeo publica fuisset Berengarii damnatio;
& licet daremus, ignotam ipsis fuisse controversiam a Berengario excitatam
eiusque damnationem, nescire tamen non poterant, Latinos Missæ credere Sa-
crificium: cum Humbertus Cardinalis Leonis IX. Constantinopoli Legatus in
disputatione de azymo & fermentato adversus Græcos, quam Græcorum Impe-
rator tunc græce reddi jussit, eam fidem disertis profiteretur verbis: Taliter, in-
quit, præparatus azymus fidelî invocatione totius Trinitatis sit verum & singulare
corpus Christi. Id ipsum quoque demonstratur ex Auctorum græcorum silen-
tio, qui adversus Ecclesiam Latinam Sæc. XI. & XII. scripsierunt: Euthymii
Moriachi Zagebeni, Nicolai Methonensis, qui adversus Chrysolonum Archi-
Episcopum Mediolanensem scripsit. Item ex tractatibus Latinorum adversus
Græcorum errores, præsertim Hugonis Ætheriani, qui nullum circa Euchari-
stiam errorem Græcis objecit. Imo ipse Nicolaus Methonensis oratione de Eu-
charistia: Propterea, ait, Christo credentes ita offerimus panem perfectum, vivum
sive corpus Christi, quod perfectum etiam post passionem permansit & integrum, &
a divina vita inseparabile, plane quale ipse primus Pontifex noster & sacrificiis &
victima suis discipulis tradidit, iisque denuo, qui ab initio suis oculis verbum intuiti
sunt, eique ministrarunt, Catholice Ecclesiæ ab extremis usque ad extremos orbis
limites tradiderunt. Insuper Ecclesiæ Græcæ cum Latina consensio in doctrina
sacrificii Missæ elucescit ex unione utriusque Ecclesiæ in Concilio Lügdunensi
sub Gregorio X. facta, in quo professionem fidei receperunt, quam ad illos
Clemens VI. & idem Gregorius X. misserant, in qua doctrina sacrificii hujus ex-
pressis continetur verbis: Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit Ecclesia
Romana tenens & docens, quod in ipso Sacramento panis veré transubstantiatur in
corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Idem constat ex pro-
fessione fidei, quam Joannes Veccus Constantinopolitanus Patriarcha suis ad Jo-
annem XXI. Romanum Pontificem Literis inseruit; in qua hæc leguntur: Crea-
dentes & nos ipsum azymum panem in ipso sacro officio Eucharistiæ veré transub-
stantiari in corpus Domini nostri Jesu Christi, & vinum in sanguinem ejus per sanctissimi
Spiritùs operationem & virtutem. Idem constat ex utriusque Ecclesiæ unio-
ne in Concilio Florentino, in quo, cum à Græcis quæsitus esset, cur post ver-
ba consecrationis has adderent preces: Fac hunc panem pretiosum corpus Christi
tui, & quod in calice est, pretiosum sanguinem, immutans ea Spiritu Sancto tuo.
Græci responderunt: Fateri nos diximus, per hæc verba transubstantiari sacram
panem, & fieri corpus Christi. Et in definitione fidei Græci pariter & La-
tini

tini professi sunt: *in azymo suo in fermentato corpus Christi veraciter confici.* Id ipsum perspicuum reddunt *Marcus Ephesinus Graecus Schismaticus in tractatu*, quo preces sacerdotis verbis Domini necessario addendas ad Eucharistiae consecrationem probare voluit, & *Bessarion Cardinalis in tractatu de Eucharistiæ sacramento*; *Nicolaus Cabasita de Liturgiæ cap. 32* scribens: *sacrificium hoc non est figura & imago sacrificii, sed verum sacrificium, non est panis id quod sacrificatur, sed ipsum Christi corpus.* *Gennadius Scholarius de sacrificio in azymo Sect. 7.* Ut autem intelligant, quæ ad hoc mysterium necessaria sunt, & quid necessarium ad hoc sacrificium sit: ne in disquirendo de azymo vel fermentato laborent, etiam hæc adjungimus: *Materia primum panis ex tritico & vinum ex vite.* *Secundum verba Christi.* *Tertium Sacerdos;* nam qui sacerdos non est, id est: qui gradum sacerdotalem non habet, nunquam conficiet. *Quartum altare,* id est mensa a Pontifice consecrata.

LXXXIII. Quoad Ecclesiam Graecam noviorem notissima sunt, quæ gesta sunt inter *Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum*, & inter *Tubingenses*. Cum anno 1575. Jacobus Schmidelinus & Martinus Crusius confessionem suam Lutheranam idiomate Graeco conscriptam eidem Jeremiae per Stephanum Gerlachium cæfarei oratoris Constantinopoli Ministrum offerebant adjetis literis officiosissimis, quibus eum *Sanctissimum & Oecomenicum Patriarcham* appellabant, Græcosque in suæ approbationem & communionem doctrinæ adducere allaborabant. Confessionem illico Patriarcha doctissima confutavit censura, & Cap: XIII. refutato D. D. Adv. circa sacrificium missæ errore, illud fortissime simul & prolixè afferuit, stabilivitque à Domino nostro Jesu Christo salutis nostræ causâ institutum. Videatur *Stanislaus Seccolovius Serenissimi Stephani Regis Polonie Theologus*, qui censuram hanc latinitate donavit. Eodem spectat gemina synodus: Constantinopoli sub Cyrillo Berrhocensi, atque altera apud Jafum Moldaviæ sub Parthenio seniore, in qua *Calvini dogmata & famosa Cyrilli Lucaris Patriarchæ Constantinopolitani*, qui ad Calvinistarum sectam deflexerat, capitula confixa & damnata sunt. Synodus Hierosolymitana sub Dositheo adversus Calvinianos inscripta, & demum Concilium aliud Constantinopolitanum sub Dionysio Patriarcha super Calvinistarum erroribus, ut itidem inscriptio habet, celebratum. Acta eorum Conciliorum exhibit Harduinus Tom. XI.

LXXXIV. Moscovitas eandem, quam nos fidem habuisse, & modo habere de sacrificio missæ constat ex auctoribus, qui de rebus Moscovitarum scripserunt; præsertim verò ex relatione legationis à magno duce Basilio ad Clementem VII. Romanum Pontificem directæ, quam scripsit Paulus Jovius è Possevino S. I. qui varias legationes Gregor. XIII. & Stephani Regis Polonorum nomine ad



Basilium Moscoviae ducem obiit in lib. de reb. Moscoviticis. Ex Saciano Canonicō Cracoviensi in errorum Moscoviticorum indice, qui in libro, cui titulus est: de Religione Russorum, legitur. Ex indice altero errorum, quibus Moscovitas & Russi detinentur, quem Joannes Laschi Gnesensis Archi-Episcopus Concilio Lateraneensi sub Leone X. obtulit anno 1514. Ex relatione Joannis Fabri, Archiducis Ferdinandi Confessarii, postea Episcopi Viennensis de Moscovitarum Religione, prout acceperat à Legatis Joannis Basillii Magni Moscovitarum Ducis ad Carolum V. Imperatorem. Et variis aliis, è quibus parulum est, Moscovitas agnoscere, agnoscisseque semper ipsum missæ sacrificium; uti & testatur Hypatius Ruthenorum Legatus in professione suæ fidei anno 1595. his verbis: Profiteor pariter in missa offerri Deoverum proprium & propitiatorum sacrificium pro vivis & defunctis.

LXXXV. Armenos cum Græcis & Latinis quoad sacrificium missæ concordes fuisse, probatur ex S. Nicone in tract. *de pessima Armenorum Religione*, quem in Bibliothecis Patrum legere est, in quo nihil aliud ipsis Armenis objicit, nisi quod in pane mystico azymis utantur, ac in sanctum calicem aquam non immittant. Jacobus Vitriacus, cum in historia sua Armenorum errores accuratè reenseat, nullum alium circa Eucharistiam ipsis tribuit, nisi quod aquam cum vino in Sacramento sanguinis Christi non ponant. Ex decreto unionis Armenorum cum Ecclesia latina in Concilio Florentino, & ex fragmendo Liturgiæ Armenorum, quod Cassiander exhibet, apparet sacerdotem vocare panem à se consecratum verum Salvatoris nostri corpus, & ter dicere super calicem: *sanguis verus est Domini nostri Iesu Christi*.

LXXXVI. Christianorum Indiae, qui S. Thomæ vocantur in eodem dogmate confessionem probat ipsorum Liturgia, in qua sacerdos hostiam dividens ait: *accedimus Domine in fide veritatis nominis tui ad hæc sancta mysteria, ac pietate tua frangimus, & misericordia tua signamus corpus & sanguinem Salvatoris nostri Iesu Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: & ad populum conversus ait: Fratres mei suscipite corpus ipsius Filii Dei, dicit Ecclesia.*

LXXXVII. Coptos quoque & Æthiopes idem nobiscum & tradidisse & credisse, & credere de sacrificio Missæ, constat ex Damiano Goez, & ex professione fidei, quam Zagazabo Episcopus Æthiops eo rogante scripsit, & ex fragmentis Liturgiæ Copticæ ab Athanasio Kirkero in prodromo Coptico laudatis; ex Liturgia Severi Patriarchæ quondam Alexandrini Eutychiani, in qua post hostiæ consecrationem Sacerdos ait: *Ita credimus, & ita affirmamus, hoc esse corpus hujus sanguinis, & hunc esse sanguinem hujus corporis.* Ex canone generali Æthiopum, in quo verbis consecrationis a Sacerdote prolatis populus

Ius ait: *Amen Amen, credimus & confidimus & laudamus te Dominus Deus noster: hoc vere corpus tuum est. Et post consecrationem calicis: Hic vere sanguis tuus est. Et postea sacerdos dicit: Hoc est corpus sanctum, honoratum & vitale Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, & ad vitam aeternam consequendam vere sumentibus ipsum, Amen.* Eadem dicit de sanguine: *tum subdit de utroque simul: Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit ex Dominâ nostra sanctâ & immaculata Virgine Maria, & univit cum Divinitate.* Plura hac de re testimonia leguntur in eruditio tractatu P. Parisii Canonici Regularis S. Genovefæ de fide orientalis Ecclesie.

Ex quibus omnibus cuilibet videre primum est, nullam existere Christianorum societatem, quæ incruentum Missæ sacrificium ut a Christo institutum non agnoverit, & iuxta ipsius Christi mandatum: *Hoc facite in meam commemorationem, p[ro]p[ter]e & sancte non celebraverit, celebretque hodie dum.*

A. M. D. G.



POSI-

POSITIONES EX PENTATEUCHO SELECTÆ.

- I. Historia biblica de seductis ac lapsis Protoplastis à Moysi descripta non est allegorica ex palato Orientalis ingenii: Nec repugnat expositio ejus ad literam divinis attributis: Nec quidquam Deo inconveniens infert.
- II. *Genesis* II. ex v. 3. non constat satis, sabathi observantiam hic modo à mundi primordiis à Deo demandatam fuisse.
- III. Mulier, de qua v. 15. rectè dicitur B. V. Maria, semenque ejus Jesus Christus: Quoad substantiam perinde est, sive legatur in v. ito ipse, sive ipsa, sive ipsum.
- IV. Cap. IV. v. 7. ly ejus & illius refertur ad peccatum, non ad Abelem.
- V. Cap. V. Anni, quibus vixisse dicuntur Patriarchæ antediluviani, non fuerunt menstrui, sed anni similes nostris.
- VI. Cap. VI. Quoad Chronologiam Adami usque ad diluvium, Lectio textus hebraici & Vulgatae nostræ preferenda est lectioni Graecæ.
- VII. Cap. XI. Arphaxad inter & Sale ex testimonio S. Lucæ cap. I. credimus mediare Cainan.
- VIII. Cap. XII. Abrahamum judicamus natum esse anno Patris sui Thare 130.
- IX. Cap. XVII. ex v. 14. ad stipulamur sententiæ, circumcisionem peccatum originale deluisse.
- X. Sepulchrum, quod cap. XVIII. Abraham dicitur emisse ab Ephron filio Seor 400 sicles, diversum est ab illo, de quo loquitur S. Stephanus *act. VII.*
- XI. Cap. XXVII. v. 19. Jacob patri suo dicens: *ego sum primogenitus tuus Esau*, non est mentitus.
- XII. Cap. XLIX. ex vaticinio Jacobide peracto Messiae adventu peremptoriè convincuntur Judei.
- XIII. v. tamen 8. per ly *Juda*, non tota Judæorum natio, sed sola hujus nominis tribus designatur.
- XIV. Cap. L. v. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati*, absurdè infert Calvinus: ergo homo non habet liberum arbitrium; & tam opus Dei est venditio Josephi, proditio *Judeæ*, quam conversio Petri.
- XV. *Exodi*. Luculentus Ss. Lit. utriusque fœderis sensus ostendit, illum, qui Patriarchis sære, & hic cap. III. Moysi præcipue in ardente rubo apparuit, Jehovah, seu ipsum filium divinum, non verò Angelum creatum fuisse.
- XVI. Cap. IV. Obduratio Pharaonis Deo duntaxat ut causæ permissivæ adscribenda est.
- XVII. Cap. XIV. Israelitæ mare rubrum transeuntes non semicirculum fecerunt, sed reversi de uno littore ad littus oppositum pervenerunt.
- XVIII. Cap. XXII. Ex lapsu populi & obsequentis Aaronis male infertur defectibilitas totius Ecclesiæ novæ.
- XIX. *Levirici*. Sacrificia cruenta erant tria: *Holocaustum, pacificum & pro peccato*: incruenta duo: *Mincha & libamen*: hæc sacrificia nude spectata sine cultu interno non fuerunt Deo grata; conjuncta tamen cum cultu interno & devotione offerentis grata fuerunt,

- XX. Cap. XVIII. Ex **v.** 16. non sequitur, Ecclesiam in primo affinitatis gradu dispensare non posse.
- XXI. Numerorum. Aqua lustrationis, de qua cap. XIX. præfigura fuit aquæ lustralis nostræ: de qua Alexander I. anno 121. in ep. I. ait: *Si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat & emulabat; quanto magis aqua, quæ sale aspersa divinisque precibus sacrata est, populum sanctificat & emundat.*
- XXII. Morem tamen hunc ipse non instituit primus, sed ab Apostolica traditione ortum decreto suo confirmavit.
- XXIII. Cap. XXI. **v.** 9. explicato per Joan. III. **v.** 14. sequitur licitum esse venerari imagines Christi.
- XXIV. Imo crucis usus & mos celebrandi ante imaginem Crucifixi antiquissimus est, & ab Apostolis profectus, ut probat Benedictus XIV. *de Sacrificio Missæ scđt. I.*
- XXV. Cap. XXX. ex **v.** 14. clarescit, per jejunium corpus suum affigere non esse superstitionem devotionem.
- XXVI. Cap. XXXVI. Lex præcipiens, ut quælibet nubat alteri de tribu sua, solas respiciebat filias bonorum paternorum hæredes.
- XXVII. Deuteronomii cap. IV. ex **v.** 2. non probatur admittendas non esse traditiones & canones Ecclesiæ.
- XXVIII. Cap. X. **v.** 32. non prohibentur opera supererogatoria.
- XXIX. Cap. XXIX. permisus repudii libellus dissolvebat ipsum matrimonii vinculum;

Omnia sub censura S. Matris Ecclesiæ.



Et sicut etiam in libro de laicis dicitur
et ratione plenaria dicitur nisi
est in libro de laicis dicitur quod
est in libro de laicis

Et sicut etiam in libro de laicis dicitur


Quod est in libro de laicis dicitur nisi
est in libro de laicis

Et sicut etiam in libro de laicis dicitur
est in libro de laicis

Et sicut etiam in libro de laicis dicitur
est in libro de laicis

Et sicut etiam in libro de laicis dicitur
est in libro de laicis

Et sicut etiam in libro de laicis dicitur
est in libro de laicis



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



© The Tiffen Company, 2007